



BAPTISTÆ FIERÆ
MANTVANI
Medici ſua ætate Clariſsimi
COENA
NOTIS ILLUSTRATA
A
CAROLO AVANTIO
RHODIGINO.

Cui nouiſsimâ hac editione acceſſerunt
CL. V. MARCI AVRELII SEVERINI
in Regio Neapolitano Gymnaſio Chirurgiæ
& Anatomes Publici Profeſſoris
EPISTOLÆ DUÆ:
Altera de LAPIDE FUNGIFERO:
Altera de LAPIDE FUNGIMAPPA.





PATAVII, Typis Sebaſtiani Sardi. CIↃ IↃC XLIX.
SVPERIORVM PERMISSV.


CLARISS. ET EXCELL. VIRO D.

IO. GEORGIO VOLCKAMERO

NORIMBERGENSI
APOLLINIS MYSTÆ
MVSARVM CORCVLO
FLORÆ DELICIO
PRISCIQ. CANDORIS EXEMPLO
HÆC SVA IN FIERÆ COENAM
SCHEDIASMATA
AMORIS ET BENEVOLENTIÆ
MONVMENTO
D. D.

CAROLVS AVANTIVS
RHODIGINVS.

 2 Nec





NEc vero aliis Te verbis compellandum censui, Vir Clarissime, quam huic schediasmati quę prescripsit bonæ memoriæ frater meus: cujus acerba quidem mihi superest recordatio, Tibi vero jucunda scio. Quæ inter vos enim summa fuit necessitudo à studiorum similitudine hoc ipsi expressit suæ in Te voluntatis monumentum. Exteros nempe à teneris unguiculis colere, mutuisq; prosequi officiis, enixe laborabat. Sed præ omnibus Germanos: quorum ille candorem, fidem, studium sic dilexit, ut nemo fere paulo politior esset Patauii, cujus sibi non devinxisset animum. Sileo reliquos cultioris passim Europæ incolas, quorum sibi amicitiam continuis heic partam studiis jugi literarum commercio quam arcte conseruarit locupletissimus tumet inter multos mihi testis es. Neq; aliam sane ob causam, quam ut admirandam rerum naturalium scientiam in salutem mortalium illustraret, pro qua totis ingenii viribus excubuit. Egregios autem conatus

præ-

præcox nimium fati vis fregit. Ecce enim, dum crebra exercitatione usuq; non mediocri stirpium latifundio plus nimium ab optimis quibusq; ingeniis excusso neglectam pluribus accessionem parat, inter media amicorum tantæ molitioni fauentium vota ad cœlestem animi originem reuocatur. Iacturæ vehementiam nobis leniet spero munusculum hoc varii saporis, quo fraterni amoris hæres virtuti meritisq; in rem literariam tuis parem omnino animum dedico & confirmo.

Patauii XXIV. Iunii Anni Salutis CIↃ IↃC XLIX.

Clarissimo nomini tuo

Addictissimus

Jacobus Auantius.

AMICE LECTOR.



Neptissimam provinciam Tibi aggressus fortasse videbor, qui Medicum Poëtam, eumq; recentissimum, notis illustrandum susceperim: & hac potissimùm tempestate, qua in tanta eruditorum virorum copia vel ἀκριβέστατα ipsa & exactiori limâ polita fastidire posis. Et quidem tanti ponderis consideratio seriò monere me debuerat, ut levissima isthæc nugamenta paucorumq; dierum σχεδιάσματα aut omnino supprimerem, aut saltem censuræ severiori demandarem: ne vel nimiæ festinationis me tandem pœniteret, vel in scioli & nasuti alicujus subsannationes incurrerem. Utcunq; tamen cessura res sit, non potui hac in parte genio meo non indulgere, Tibiq; non exhibere hanc non quidem μηδικὴν τράπεζαν i. e. lautam & Medorum luxu instructam mensam, sed Medicam verè & salubrem COENAM: in qua quid in unoquoq; Ciborum genere eligendum aut vitandum Tibi sit, quæve singulorum sint utilitates & noxæ, unico veluti intuitu deprehendere facilè posis. Si quid igitur in ea palato tuo gratum inveneris, erit quod mihi supra votum gratulari debeam: sin minus, nec ideo oleum & operam lusisse existimabo, cùm saltem haud defuturam materiam sperem, qua malignus alienorum interpres genuinum frangere, & livorem pro libidine exercere posit. Quòd si ipse quoq; Liber tam infaustâ ac iratâ Lucinâ in lucem prodierit,

Ut nigram citò raptus in culinam
Cordylas madidâ tegat papyro;

sortem suam haud conqueri debebit. Eò enim postliminio redibit, ubi parari COENA consuevit. Cæterùm, ut aliquam instituti mei in Opusculo hoc exornando rationem reddam, scire Te velim, me ea tantùm attigisse, quæ apud Auctores dubia & controversa, quæve obscura & paululum difficilia videri poterant. Quibus discutiendis illustrandisq; non modò probatorum Scriptorum loca produxi, sed non pauca de proprio penore deprompsi. Potuissem quidem longè plura congerere;

gerere; sed pleraq; consultò prætereunda duxi, ne longiori scriptione aures tuas importunè fatigarem, neu viderer ex ephemeridibus in rationum librum omnia mercatorum more transcribere. Idq; præsertim, quòd ea, quæ rudi crassæq; meæ Minervæ plana perspicuaq; visa sunt, nemini negotium facessere posse existimaverim. Multa quoq; siccopede transmisi, quorum sensum (fatebor enim ingenuè) nullâ unquam ratione assequi licuit. Si quid verò extra ordinem aut ad amœniorem literaturam, aut ad rei historiam adnotatione dignum, minusq; obvium, quamvis longiùs arcessitum, interdum occurrit, non piguit corollarij loco subnectere. Ubique verò Scriptorum, quibus profeci, loca ad marginem bonâ fide annotavi: maleferiatorum quorumdam fucorum ingenium perosus, qui optimos Auctores, quorum mella populati sunt, non modò proferre ipsi dedignantur, sed & aliis, ut idem efficiant, sedulò persuadent, rati, ut opinor, hac arte Centones, quos hinc inde ferruminârunt, tanquam propii ingenii fœtus rudioribus posse obtrudere. Horum se antesignanum præbuit Castor Durantes: qui in suum de Ciborum Natura, seu, ut ille vocat, Sanitatis Thesaurum universum hoc FIERÆ nostri Opusculum traduxit, suppressò ubique Auctoris sui nomine. Dignus certè, qui si bicipitem montem ascendere unquam ausus fuerit, plagii pœnâ, ut olim Bathyllus, severissimè plectatur.

Superest modò ut de Auctore nostro aliqua breviter dicamus. Lucem is hausit Mantuæ Anno MCCCCLXIX perantiquâ FIERARUM gente: quæ ex Germanica nobilitate oriunda ante annos fermè trecentos inter primarias ibidem consedit. Auctorem quippe originis suæ agnoscit Philippum illum Fieram, quem ob summam rei bellicæ peritiam à Rudolpho I. Imperatore, aduersus Bohemiæ Regem bellum gerente, exercitui præfectum, re feliciter gestâ, Comitis dignitate geminisq; palmis, quæ in gentilitio stemmate visuntur, decoratum fuisse legimus. Ex hac postmodum, tanquam locupletissimo seminario, Aurati Equites, Arcium præfecti, Principum Oratores, & Aulici familiares, aliiq; innumeri cum armis & literis, tum ecclesiasticâ dignitate insignes Viri longâ serie prodierunt. Patrem habuit Paulum prudentissimum & integerrimum virum: cujus diligenti curâ puer

adhuc

adhuc optimis literis imbutus, brevi ad disciplinarum omnium apicem pervenit. Philosophicis enim studiis cùm primùm animum addixisset, tantâ ingenii contentione & felicitate in eis versatus est; ut Petrus Pomponatius, summus illius ætatis philosophus, non acriorem Fierâ nostro antagonistam invenerit. Dum enim Ille Animorum Mortalitatem publicè doceret; Hic edito scripto impiam ejus opinionem solidissimè confutavit. Cujus argumenti occasione cùm è Theologico fonte nonnulla theoremata delibâsset, vastissimam quoq; scientiam illam non perfunctoriè vagari voluit. In qua gravissimas de Deo & Homine, de Prædestinatione, aliisq; rebus lucubrationes vulgavit. Ad Medicinam verò peculiari quodam genio rapiebatur, & ad eam veluti natus fausto quodam sidere videbatur. Artem enim tam felici successu exercuit, ut rarissimè ægrotantium votis non responderet: passimq; tanquam cœlo delapsus Æsculapius alter omnium ore prædicaretur. Unde cùm tanti Viri fama in dies magis magisq; inclaresceret, & à magnis Principibus certatim expeteretur, Julius II. Pont. Max. eum ingenti honorario Romam acciuit, ubi Medicinam decennium è primo loco professus est. Mortuo tandem Leone X. cujus quoq; valetudinem rexerat, jamq; laboribus fessus & ætate gravis de reditu in patriam cogitare cœpit, frustra eum retinere conantibus Adriano VI. & Clemente VII. ibiq; reliquum vitæ amœnioribus studiis dicavit: & subinde in Arboretanum pagum, Majoribus olim suis à Mantuæ Principibus donatum, secedens extremum senium invidendâ tranquillitate beavit. Severiora enim illa studia ita semper tractare solitus est, ut nunquam politiores literas Musarumq; delicias penitus desereret, sed ad laxandum animum quotidie carmen aliquod meditaretur. Et quidem si seculi ruditatem consideremus, eum non omnino adverso numine carmina scripsisse fatebimur. Tandem septuagenario proximus cælebs naturæ debitum persolvit Anno MDXXXVIII, & in monumento, quod in cœmeterio Divi Francisci sub arcu propriarum ædium, in quo hortus pensilis conspicitur, sibi viuens extruxerat, conditus est, hac additâ inscriptione:

BAPTISTÆ FIERÆ, FUTURO QUI FUIT, ET PROPRIIS HIC SUB ÆDIBUS, QUOD CURAVIT TUMULANDO

 *NEMO*

NEMO INVIDERET QUIETEM, SOLUS VULT ESSE.

Staturâ fuit communi, oculis vivacissimis, facie, & toto corpore ad venustatem composito. Comam aluit, barbam rasit pro sæculi more. Coluit quotquot ætas illa tulit viros doctos: præcipuè qui caballino fonte labia proluerant; & in primis Baptistam Carmelitanum, suavissimum illum Mincii olorem, alterumq; à Marone Mantuanæ Musæ decus & ornamentum. Quorum carmina ἀμοιβαῖα penes se MSc. extare, affirmavit olim mihi Christophorus Vairus Medicus Mantuanus. Innumera reliquit ingenii sui monumenta: quorum potior pars, magnâ hæredum incuriâ, majori literarum damno intercidit. Hic duntaxat eorum syllabum attexam quæ apud Reuerendiss. Fridericum ejus pronepotem, cujus diligentiâ à tineis blattisq; vindicata sunt, partim edita, partim manuscripta servantur.

De Loco Angeli.

De Deo & Homine Lib. III.

De Virgine Deipara sine peccato originali concepta.

De Primo Cognito.

De Principiis Rerum Naturalium Lib. II.

De Intensione & Remissione ad Pomponatium.

Responsio ad quatuor Conclusiones Joannis Marliani.

De Immortalitate Animæ contra Petrum Pomponatium.

Commentaria in Artem Medicinalem Galeni.

De Virtute movente pulsum.

De Phlegmatico & Bilioso æqualiter febrientibus.

De Pestilentia & Morbis communiter Pestilentibus dictis.

Institutio Medici ad præservanda corpora tempore Pestis.

De Attractione Medicinarum Solutivarum.

De Justitia pingenda, Dialogus inter Mantiniam Pictorem eximium, & Momum.

Hymni Sacri, Leoni X. dicati.

Miserationis Divinæ imploratio per Davidem relapsum.

Silvæ, Elegiæ, Epigrammata plurima.

Et præsens Opusculum, COENA inscriptum: quod Tibi notis illustratum exhibeo. In quo si quid impropriè aut minùs Latinè ab Au-

ctore

ctore dictum offendes; memineris Te Medicum & Poëtam legere, qui hoc argumento & scribendi genere neutrum facilè assequi potuit. Sufficiat Conradi Gesneri, magni illius Germaniæ Plinii, judicium promeruisse. Baptista Fiera in COENA sua plurima simplicia condimentaq; & eorum facultates carmine elegiaco satis eleganter descripsit.

Ad Annotationes verò meas quod attinet, ut eas æqui boniq; consulas, ingeniiq; mei tenuitatem excuses, Te rogo & obtestor. Hæc enim, qualiacunq; sint, graviorum studiorum πάρεργα, *non ut laudem aliquam consequerer, sed ut amicissimo viro in cujus gratiam scripta, morem gererem, in lucem profero: satis & abunde laudatus, si Tibi non fastiditus. Vale.*





BAPTISTA FIERA MANTUANUS
THEOLOGUS, MEDICUS, ET POETA.

INDEX CAPITUM.

Ci-

BAPTI-

BAPTISTÆ FIERÆ MANTVANO

Pomponius Lætus.





uæris delicias & pinguis fercula mensæ?
Perſida, vel Medis Regis adito lares.
Mille dabit, ſi mille petis, tibi pagina luxus:
Inventis cedet nec, Caracalla, tuis.
Aut quod nocturnis ponebat regia divis,
Halius aut quales diſpare ſorte dedit.
Iſta linunt, graciliq; placent maleſana palato,
Et doctæ carpunt prædia magna gulæ.
Si cupis oblongæ traducere tempora vitæ,
Accipe quas promit Mantua ſola dapes.
Mantua dat numeros: videas monimenta Maronis:
Conſulit humano non minus illa pedi.
Semina diſponit gemino Baptiſta novali:
Frugifero ſtruitur COENA diſerta cibo.
Contulit ò quantum prædives Mincius orbi!
Prorogat hic animam, prorogat ille lyram.

Illustrissimo & Amplissimo Domino suo

D. RAPHAELI RIARIO
S. GEORGII CARDINALI DIGNISSIMO
BAPTISTA FIERA MANTVANVS
bene vivere.



Voluissem Illustriss. Domine, graviori & doctâ magis scriptione mandatis tuis morem gerere: & utinam ad extremum calamum Tractatui nostro de diversis tam philosophicis quàm medicis annotationibus imponendum suppeteret otium. Gratum satis opus nostrum Amplitudini Tuæ, quàm plurimis verò vtile futurum sperarem. Verùm quandoquidem voto par nunc esse non possum meo: à quo, dum vitæ fomenta medicamus, divellimur; quod optâsti, & quod potui felicibus habe auspiciis: incolumitatisq; ut perpetuitatem illam consequaris, quam & Tu & COENA Tibi optat mea. Dii faxint boni. Vale.

Ad Librum

Sidonios habitus, atq; aurea pallia felix
Indue virgineo tincte rubore Liber.
Ad Dominum properas: quanta est tibi gloria: cultu
Divite amat tanti numinis ara coli.

Ad Amplis. D. D.
RAPHAELEM RIARIVM
S. GEORGII CARDINALEM
Hendecasyllabum.

SI cui delicias jocosq; nostros
Fas sit sepositis dicare curis,
Savi dum fugiant leonis ignes:
Qualescunq; habeas velim Raphaël.
Tu solus medicos meos labores
Nutris: Tu miseræ rati secunda
Aspiras, pelago furente, portus,
Duro tempore nec sinis perire.
Unus Juppiter, unicusq; Apollo es
Nobis: seria sint tua & jocosa.

ELEMENTA.

ARida Terra gelu torpet: calet humidus Aër:
Si gelida est, deceat si minus, humet Aqua.
Torrida ab Igne minus sunt cætera sicca: ministrans
Omnibus hæc varias non sine sole vices.
Dii, bene sit vobis: semper mutata novantur,
Ut perimant formas, dentq; Elementa novas.

Quatuor esse simplicissima corpora, primaq; & communia rerum omnium principia, Elementa vocata, quæ juxta quatuor combinationes totam primarum qualitatum latitudinem compleant, & ex quibus mixta omnia coalescant, & in ea iterum resolvantur, receptissima est apud Medicos & Philosophos fere omnes sententia. Nõ defuerunt è Recentioribus tamen, qui Ignem ex Elementorum numero expungere non dubitârunt. Inter hos primas tenet eruditiss. Alexander Taxonus Mutinensis. Cujus validissimas ac penè insolubiles rationes lege lib. 1. Variar. Quæst. cap. 1. Quo sanè opere & acutissimi philosophi & doctissimi polyhistoris nomen promeruit. quicquid alii putent, qui incomparabilem hunc virum infimæ literatorum plebeculæ accensent.

FICVS.

IGne tepet modico: primoq; est tempore Ficus
Mollior: urenti mox sitit igne magis.
Candida purpureis nigrisq; est gratior: omni
Pinguior hac fructu, uberiusq; fovet.
Si nova sit, nocua est stomacho, & descensibus apta
Effluet, ardenti ni sociata nuci est.

At ſiccata aperit, ſordeſq; potentius effert:
Nec minus iſta mali ſanguinis eſſe ſolet.
Frigida membra calent Ficu: præcordia lenit,
Et caput: hanc primam menſa liberq; ferant.

primoq; eſt tempore Ficus] Præcoces intelligere, Græcis πρωδρόμους appellatas: quæ quidem *molliores* ſunt i. e. pluri humiditate ſeu ſucco excrementitio abundāt. quo nomine damnantur etiam ab Hipp. lib.2.de Diæta. Quo loco neſcio cur Foëſius, rejectâ Cornarii interpretatione, ὀπωδέστατα *lacte pleniſſimas* vertere maluerit. Immaturas & adhuc lacte turgentes Ficus in cibum certè recipit nemo: per maturitatem verò lacteus ille ſuccus, quem eleganter Plinius Pomi infantiam vocat, acris & mordax in ſuavem & dulciſſimum permutatur, nec lactis nomen meretur ampliùs. *lib. 15.c. 19.*

uberiuſq; fouet] Non aliunde clariùs colligere id potes, quàm ipſius Galeni exemplo & experientiâ: qui ut ſalubrem vitam degeret, omni fugaci fructu rejecto, à xxviii ætatis ſuæ anno ſolis Ficubus uviſq; probè maturis uſus fuit. Platonem quoq; huiuſmodi fructu apprime delectatum fuiſſe legimus propterea φιλόσυκος à Plutarcho appellatus eſt. *de ſucc. bon. & vit. c. 1.* *4. Sympoſ. quaſt. 4.*

ſordeſq; potentius effert] Excrementa non ſolùm expurgat per alvum, ſed etiam per corporis ambitum, ſudores movendo. Refertq; Athenæus, Anchimolum & Moſchum philoſophos Elidenſes, cùm per totam vitam ſolis ficubus veſcerentur, eorum ſudorem adeo grauiter oluiſſe, ut eos in balneis omnes averſarentur. Hinc patet cur largiori & frequentiori Carycarum uſu Phthiriaſis interdum oriatur. *Dipnoſoph. l. 2. c. 6.*

liberq; ferant] Solet hìc convivalis quæſtio à nonnullis excitari: præſtetne ab eſu Ficuum potare vinum an aquā.

Ut

Ut eam ègregiè discutiat & solvat cl. Jo. Dominicus Sala, vide Part. 1. Aliment.

M A L A.

Plurima sunt, minimiq; madentia Mala caloris:
Dulcia sed stomacho commodiora meo.
Corda juvant flammis agitata: at noxia ventri
Turgebunt, nervis & nocuisse volent.
His caveas: mala sunt, dirasq; moventia febres.
Forma placet: nitidi corticis esca nocet.

Dulcia stomacho commodiora] Contrarium sentit Diosc. *lib. 1. c. 131.* qui Melimela, quæ omnium dulcissima, stomacho infensa esse scribit: Epirotica verò seu Orbiculata eidem amica. At Epirotica Mala dulcia non esse, imò στύψεως seu austeritatis nō parum obtinere ex eo liquet, quòd sistendo ventri, eadem Diosc. teste, accommodentur. Quod intelligens Interpres librorum Galeni de compos. Medic. per loca, ἐρμίβλακα μῆλα ad ventriculi subversionem, *lib. 9. c. 5.* *Orbiculata* optimè vertit. Ut hinc credam Epirotica Mela non esse *Rosea* vulgo dicta, ut censet Marcellus Virgilius, sed quæ passim *Ferruginea* nuncupantur.

nervis nocuisse] Hoc priuatim de Pomis Vernis tradit Diosc. quia frigidioris sunt temperaturæ, nec unquam acerbitatem, quantumvis matura, prorsus exuunt: ideoq; *Dipnosoph.* corpori succum tribuant, quem cum Athenæo ξυρινὸν *radentem* non malè appellaveris. *lib. 3. c. 6.*

P E R S I C A.

Rore sumus pluvio, mox putrescentia, ventri
Fida calescenti, si modò prima damur.

Mollia

Mollia laxamus ventres, ſiccata tenemus.
Nos timuit Perſis, ſed tibi grata ſumus.

Hiſt. Nat. lib. 23. c. 7. *mox putreſcentia*] Vide quantum fidei præſtare debeas Plinio ſcribenti, non eſſe Perſicis innocentiorem cibum.

Aliment. l. 2. c. 19. *ſi modò prima damur*] Id in univerſum de omnibus præcipit Gal. quæ cum ſucci pravitate humidam ac lubricam obtinent ſubſtantiam: quæ primis epulis ſumpta citiùs excernuntur, aliiſq; cibis viam ſternunt: poſtremis verò unà cum reliquis corrumpuntur.

ſiccata tenemus] Abſumptâ humiditate, quæ ventri lubricitatem conciliat. Quamvis Gal. Perſica inter ea recenſeat, quæ ob ſucci pravitatem ſiccari nequeant: ſed priùs putreſcant, quàm ſiccentur. (de ſucc. bon. & vit. c. 5.)

nos timuit Perſis] Jamdudum exploſus error, qui multorum mentes pervaſerat, Perſica apud Perſas exitialia eſſe: alibi verò innoxia. Id n. non de Perſico, ſed de Perſea tradunt Rei Herbariæ ſapientes. Quod itidem fabuloſum alii exiſtimant.

MALA ARMENIACA.

Poma eadem dices, quæ Perſica, ſi tamen amplum
His corpus: nobis aurea forma datur.

Armeniaca Mala Gal. à Præcocibus modò diſtinguit: modò προκοκκίων (πραικοκίων voce latinâ fortè legendum) nomine utraq; confundit. Hoc videtur inter illa eſſe diſcrimen: quòd Armeniacorum nucleus dulcis ſit: Præcocium verò amarus & fructûs pulpa nonnihil ſolidior. Illa Patavii nomen adhuc retinent: Hæc *Baricocchi*, quemadmodum & Suidæ βερίκοκκα appellantur.

aurea forma] Ab auri colore Chryſomela quibuſdam dicuntur. Licèt Chryſomeli nomine Columella & Plinius Cotonei ſpeciem intelligant. (Rei Ruſt. l. 5. cap. 3.)

PRU-

P R U N A.

PRruna, licèt vario decorata colore nitescant,
Frigent, & pluri crassa liquore fluunt.
Solvunt, corda fovent ardentia, prima reponunt
Prandia: sunt Syrii nobiliora soli.

Solvunt] Jure Gal. miratur Dioscoridem, quòd scripserit, Pruna exsiccata alvum adstringere: quæ apprimè utilia esse constat, quibus propositum est ventrem solvere, humectare, ac refrigerare. Hanc laxandi ventris facultatem non ignoravit Martialis in Xeniis. *Aliment. l. 2. cap. 3.*

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri solvere ventris onus.

Syrii nobiliora] Damascena scil. à Damasco Syriæ urbe. Quæ cùm nobilitate cæteris antecellant, factum est, ut Pruna omnia recentioribus Græcis *Δαμάσκηνα* nuncupentur.

P Y R A.

BRrumalis sitibunda cibi, durantia ventrem
Sunt Pyra: ventosum non edat illa latus.
Cor tamen hæc colat, & fungi cui cura maligni:
Nec pipere, & mulso, melleve cocta nocent.

sitibunda] i. e. temperamento sicca. τῷ n. *sitire* pro *siccum esse* usitatissimo sibi termino Auctor frequenter utitur. Aliàs Pyra sitim prohibere testatur Gal. lib. 6. Simplic.

aut fungi] Silvestrium Pyrorum id proprium est teste Diosc. qui iis incoctis innoxios reddi Fungo scribit: & eorumdem ligni cinerem iis auxiliari, qui à fungis strangulantur. *lib. 1. cap. 132.*

CERA-

C E R A S A.

Iam dedit è Ponto nobis tria poma Lucullus:
Vix tepida, & cursûs dulcia sunt subiti:
Dulcacida ignito sitiunt aptissima ventri:
Condit adusta vorax acria sole coquus.
His alvus fluida arcetur, famis improbus ardor
Crescit, adempta sitis: quàm gula docta coquo?

tria poma Lucullus] Quæ Poma, præter Cerasa, è Ponto attulerit Lucullus, fateor me ignorare. Plinius n. & Athenæus scribunt ante Mithridaticam victoriam non fuisse Cerasa in Italia, sed tunc demum à Lucullo invecta, & à Cerasunte Ponti oppidi Cerasa vocata: præterea nihil. Verùm cùm Servius scribat etiam ante Luculli tempora Cerasa in Italia fuisse, sed dura & agrestia: quę priùs *Corna*, deinde *Corno-Cerasa* mixto nomine appellata fuerint, verisimillimum arbitror, Lucullum Sativorum species, & quidem trium præcipuorum saporum in Italiam attulisse, Dulcium scil. Acidorum, & Mixti saporis. Idq; trium pomorum nomine innuere voluisse Auctorem nostrum.

Hist. Nat. l. 15. cap. 25. — *Dipnosoph. lib. 2. c. 11.* — *lib. 2. Georg.*

acria] Acris sapor, quem Greci δριμὺ vocant, caliditatis index est: percipiturq; in sinapi, pipere, pyrethro, & similibus. Poëtæ verò indulgendum, si hoc loco, & alibi passim Acris nomen pro acidis, quæ frigida sunt, καταχρηστικῶς usurpaverit.

C Y D O N I A.

Sicca levis brumæ quòd Poma Cydonia melle
Cocta juvent stomachum, mensa secunda rogat.

Frenant

Frenant vina, tument, fluxus remorata, lacertis
Sunt nocua, & nimis cursibus apta cibo.

mensa secunda] Adstringentium omnium ea vis est, ut supremis epulis sumpta alvum moveant, ventriculum roborando, & ad excernenda quæ in se continet, incitando. Quod luculenter docet Gal. Protæ Rhetoris exemplo cujus historiam fusiùs refert lib. 2. Aliment. c. 22.

Frenant vina, tument] MSc. exemplar, quod fuit cl. Laurentii Pignorii, legebat, *Nulla venena timent*, sensu nihilo deteriori. Ebrietatem n. non solùm discutere possunt, vrinam provocando: sed & adversus venena ad miraculum usq; valere prædicantur. Prodit n. ex Phylarcho Athenæus, solo eorum odore lethalium medicamentorum vim hebetari: pharicumq; canistro impositum, in quo Cydonia antea reposita fuerant, evanidum factum omnem maleficam qualitatem amisisse: nec iis, quibus potu exhibitum fuit, quicquam noxæ attulisse. *Dipnos. lib. 3. cap. 6.*

Ab odoris similitudine nomen sortita videtur Cydonia herba: quam ad conciliandum medicatis quibusdam compositionibus odorem Gal. commendat. De qua licet arduum ac penè temerarium sit, nullâ extante ejus descriptione aut notâ, quicquam statuere; cùm certò sciam Rosmarinum silvestrem Unguentis, Pomatis vulgo dictis, mixtum suavissimum odorem, à Cydoniorum non multùm distantem, conciliare; πολλῶν ἂν πλέον suspicari tantisper licebit, donec alius magis respondentem produxerit. *lib. 1. per loc. cap. 5.*

O L I V A.

Torpescens Olea exacuit, sed avara palatum
Vix alet: arentem mollior alvus amat.
Igne levi, nisi salsa, tepens imitata smaragdos:
Fœniculo, atq; acido rore referta sapit.

Olea] Pro fructu arborem poëticè posuit.

imitata Smaragdos] Smaragdinæ Olivæ appellantur etiam ab auctore alterius de Dynamidiis, immaturæ scil. & quæ muriâ aut aceto condiuntur, Græcis ἁλμάδες & κολυμβάδες, & Petronio in Trimalchionis cœna Albæ dictæ, ad differentiam Nigrarum: qua, quoniam in ipsa arbore maturescunt, δρυπεπεῖς, seu δρυπετεῖς appellantur.

acido rore referta] Aceto condita.

ARBUTA. MESPILA. SORBA.

Arbuta, Sorba tenent fluidos, & Mespila ventres:
Parvo siccescunt hæc tria poma gelu.
Hæc fugias nitido dum cortice poma rubescunt.
Vix simul eveniunt & decor & bonitas.

Arbutum Euganeorum incolæ *Gomaram* vocant, nomine procul dubio detorto à græco κόμαρος. *Cap. 37.* Quamvis Comarus Apulejo vulgare sit Fragum. Ejus Pomum Gal. μεμαίκυλον, seu ut alii scribunt, μιμαίκυλον, *Al. ment. lib. 2. cap. 38. & Simpl. l. 6.* Plinius communi nomine cum arbore Unedonem appellat. Et licet idem Gal. Unedonem à Memecylo diversum faciat, scribens Rusticis Italis ἐπιμηλίδα vocari οὐνεδῶνα, verisimilius est, peregrinum hominem, quàm Romanum in latina dictione deceptum fuisse. Quod ex eo quoq; colligere est, quòd ille omnia Memecyli vitia Epimelidi, quam vulgare Mespilum esse ex Dioscoridis verbis liquet, *lib. 1. cap. 33.* perperam adscripserit. Non n. Mespilum stomacho ingratum, neq; capitis dolores infert, quemadmodum Arbuti fructus. *loc. cit.* Cujus pravitatem propterea damnans ad extremum usq; acerbum permanere, & ipsâ glande quernâ ad omnia deteriorem esse pronuntiat.

NVX

N V X.

Mille Nuces poteras dixiſſe, ſed unica Juglans
Nux dicta eſt, linguæ jam nocitura meæ.
Siccior ardeſcit, ſtomachum & caput improba vexat;
Mirum, ſi nocua ſit bene juncta viæ.

Mille Nuces poteras dixiſſe] Nucis nomen omnibus fructibus commune eſt, qui putamine duro & lignoſo nucleos includunt, ut Pineæ, Avellanæ, Piſtacea, & reliqua Græcis ἀκρόδρυα dicta. Per antonomaſiam verò eo nomine intelliguntur Regiæ, quæ & Juglandes, quaſi Jovis Glandes nuncupantur: ſive quia eas Jovi ſacras vellet antiquitas: ſive quia priſci illi & rudes homines, ſoliſq glandibus aſſueti, cùm has primùm deguſtâſſent, querniſq; longè ſuaviores eſſent experti, tanquam Jovis munere ſibi conceſſas, Jovis Glandes, mox, interliſis literis, Juglandes appellaverunt. Nux latinis dicitur à nocendo: Græcis pariter κάρυον, ἀπὸ τοῦ καρῶν. Non ſolùm n. ejus eſus καρηβαρίαν infert, ſed & arboris umbra humano capiti valde noxia habetur, omnibuſq; juxta infenſiſſima. Quapropter nonniſi ſecus vias, & ad agrorum margines ſeri conſuevit.

Siccior ardeſcit] Juglandes recentes minùs noxiæ exiſtimantur: ætate verò unguinoſiores fiunt, & rancorem, ſeu, ut ait Athenæus, κεγχρώδεις & ῥεγχώδεις quid contrahunt: quo vocis raucedinē & ſtertorem inferunt, nimioq; uſu, ut ſcribit Auerrhoës, linguę paralyſin inducūt. *Dipnoſ. lib. 2. cap. 13.* *Collectan. l. 5. cap. 40.*

Id autem peculiare habet Nux Juglans contra cæterarum arborem indolem, quòd verberibus & fuſtibus cæſa uberiores fructus ferat. Unde feſtiviſſimè quidam

Fœmina, Nux, Aſinus ſimili ſunt lege ligata:
Hæc tria nil rectè facient, ſi verbera ceſſent.

AVELLANA.

Primus Abellinam Campano à nomine cultor
Dixerat: aridula est: sed minùs illa tepet.
Invisa est capiti & stomacho: tardissima lapsu
Intumet: umbrosis nascitur in corylis.

Lib. 15. c. 22. *Primus Abellinam*] Avellanæ olim Abellinæ patrio nomine, ut inquit Plinius, vocabantur: ab Abellino scil. Campaniæ oppido, quod etiamnum nomen servat. In Italiam verò ab Heraclea Ponti primùm translatæ. Inde ἡρακλεωτικὰ κάρυα Theophrasto passim nuncupantur.
tardissima lapsu] Eo nomine ejus cremorem seu emulsionem cœliacis & dysentericis utiliter quidam exhibēt.

AMYGDALA.

Fervet & emollit si Dulcis Amygdala: Amara est
Asperior: mensas nesciat ista tuas.
Iliacum dulcis tabemq́; à pectore delet.
Quàm bene distat! alit dulcis, amara necat.

mensa nesciat ista tuas] Nisi te Liberi Patris rore perfundere velis: quippe ebrietatem arcere compertum est.
Sympos. lib. 1. quæst. 6. Scribit n. Plutarchus, Druso Tiberii Cæsaris filio fuisse Medicum, qui potando longè omnes post se relinqueret: observatumq; fuisse, illum quatuor aut sex Amygdalas Amaras ante potum sumere solitum.
amara necat] Sc. ventris tineas, ut amara omnia. Nisi mavis hoc referre ad Vulpes: quas Amygdalis amaris necari tradit Plinius & Plutarch. loc. cit. Quamvis id ego falsissimum esse deprehenderim, facto periculo in vulpecula ferme cicuri, quam Patavii alebat D. Polydorus Bello- Hist. Nat. lib. 23. c. 8.

Bellodus pharmacopœus diligentissimus: cui non semel Amygdalas Amaras exhibui, totosq; dies potu interdixi (id n. observandum monet Plinius) neq; ullam ex eis noxam unquam sensit.

PISTACIUM.

IGne nuces superat: renes juvat & jecur humens
Pistacium: hoc stomachi cœna senilis amat.

Igne nuces superat] Avicenna, à quo Auctor ista deprompsisse videtur, Pistacia vehementioris caliditatis esse ait, quàm nuces: & calefacere in fine secundi gradûs. *lib. 2. Tr. 2. cap. 276.* Sed irrepsisse mendum in textum ex eo patet, quòd de nucibus agens tertium caloris gradum apertissimâ contradictione eis adscribat. *lib. cit. cap. 102.* Quapropter pro *vehementioris* ibi legendum existimo *mitioris*: assentiente ejusdem scholæ summo philosopho Averrhoë: qui Pistacia tum in calore tum in siccitate temperata esse decernit: quod & sapor eorum γλυκύπικρος comprobare videtur. *Collectan. lib. 5. cap. 40.*

cœna senilis amat]. Sive respexerit Auctor ad substantiam Pistacii εὔχυμον, quæ plurimum nutrit, & stomacho amica est, quo nomine senili ætati apprime conducit, sive ad illius ætatis homines, qui lorum immiserunt in aquam, nec nisi per somnum jam arrigunt, cùm Pistacia tentiginem quoq; promoveant; utroq; modo sensus constabit.

PINEA.

EBullit, minimumq́; sitit, pulmonibus imis
Debita, vix coquitur Pinea, sed bene alit.
Intestina fovet: nervis rigidoq́; lapillo
Subvenit: & Veneri grata: fugit Cybelen.

pulmo-

pulmonibus imis debita] Pectus expurgant Strobili, quia
lib. 23. c. 8. resinosum quid obtinent. Nec scrupulum moveat Plinius, qui Nucleos Pineos tussim & fauces exasperare scribit. Ibi n. doctiss. Dalechampius ex vetustiss. & probatis codd. exasperatas lenire restituendum jamdudum monuit.

in Xeniis. *fugit Cybelen*] Nux Pini Cybeli sacra fuit. Unde Martiali *Cybelis Pomum* dicitur. Fugere a. Cybelen ideo dixisse arbitror, quoniam cùm Strobili genituram augeant, & venerem excitent, ejus Sacerdotibus, qui exsecti erāt, omne veneris irritamentum ineptum videbatur. Vel, si placet, ad notissimam Atydis fabulam referas.

CASTANEA.

Quæ tibi grata, licet posito mollescat echino,
Sicca est, & minimo Castanea igne calet.
In caput & ventres inflata asperrima sævit,
Ni spolia aportet mellis arundinei.

posito mollescat echino] Echinatum Castaneæ calycem
lib. 1. per loc. cap. 1. Gal. λοπίμων πώγωνα *Castaneæ barbam* vocat. λοπίμους n. Castaneas quibusdam appellari scribit lib. 2. Aliment. cap. 38. Aëtius verò aliquod inter Lopimum & communiter dictam Castaneam discrimen constituere vi-
verbo Δρῦς. detur. Libro n. primo ἄρισται δὴ, inquit, τῶν βαλάνων πασῶν εἰσὶν αἱ καστάνιαι, καὶ αἱ λόπιμοι ὀνομαζόμεναι. Quo loco non, ut Janus Cornarius vertit, legendum, *optimæ glandium omnium sunt Castaneæ, quæ & Lopimi*, sed *& quæ Lopimi*, vel potiùs, *præcipuè quæ Lopimi* nominantur. Ita ut Lopimus selectior sit & nobilior quædam Castanearum species: quales sunt Euboicæ, aut quæ Italis *Maroni*, quasi Castaneæ mares appellantur. Avellanas quoq; λόπιμα quibusdā nominari ex Nicandri Geor-

gicis

gicis notat Athenæus lib. 2. Dipnosoph. cap. 13. *mellis arundinei*] i. e. sacchari. detergente n. & laxante facultate ad faciliorem eorum dejectionem plurimum facit.

ZIZYPHA.

Magna placent: tussim sedant, stomachumq; lacessunt:
Humenti frigent Zizypha temperie.

Magna placent] Mihi verò ne maxima quidem. Sunt n. ut ait Gal. mulierum & effrenatorum infantium edulium. *Aliment. l. 2. c. 23.* Et ego novi Adolescentem Patavinum, qui Zizypha, triduo postquam illa comederat, vomitu prorsus immutata rejecit. Magna a. nascuntur ad Ædessam Macedoniæ urbem.

frigent] Avicenna quoq; Zizypha primo ordine frigida existimavit, sed errore apertissimo. Dulcedinem n. manifestam cùm præ se ferant; caloris quoq; non omnino expertia esse concludendum est. Id quod Aëtium & Paulum asseruisse invenio.

Porrò ζίζυφον, seu ζιζύφον nomen non modò posterioribus Græcis, ut quidam putant, sed ipsi quoq; Galeno usurpatur lib. 2. Alim. cap. 38. ubi ζίζυφα κακόχυμα esse scribit.

MALA PUNICA.

Dulcia sunt madidi roris, sicci acria Poma
Punica: pulmoni hæc sunt mala, & illa bona.
Cuncta nocent stomacho: ferventes acria flammas
Extinguunt: cunctis mensa secunda datur.
Sæpe remorbescit, dulci si vescitur æger.
Utraq; cùm distent mejere cur faciunt?

Cuncta

lib. 1. c. 127. *Cuncta nocent stomacho*] At Diosc. omne Punicum boni succi esse ait, & stomacho utile. Quod de parcissimo eorum usu intelligito.

sape remorbescit] Rationem reddit Diosc. lib. c. quia lib. 8. Simpl. Punicum dulce aliquantulum caloris in stomacho gignit, & inflationes parit: ideoq; in febribus abdicandum.

mejere cur faciunt?] Punica omnia, sive dulcia, sive acida sint, teste Gal. adstringentem facultatem obtinent. Videntur igitur eâ ratione utraq; urinam provocare: quoniam adstrictâ alvo humiditas, quę naturaliter in ventre continetur, rapitur distribuiturq; in venas: Unde largior urinæ profusio.

CORNA.

Corna nocent stomacho brumâ male grata rigenti:
Si tuus illa voret venter, avarus erit.

venter, avarus erit.] Corna inter adstringentissimos fructus numerantur: nec multo inferiori facultate constant reliquæ arboris partes. Ut propterea admiratione dignum sit, quod tradit Plinius, Apes Corni flore degustato concitâ alvo mori.

MORA.

Acribus est gelidus, fervescens dulcibus humor:
Dulcia mox putrent Mora vorata tibi.
Acria si ventrem, choleram subigentia, durant,
Vesicæ effluxus plenior inde tibi est.

Dulcia mox putrent] Idq; faciliùs, si post alios cibos ingesta fuerint. Quòd si pravum, inquit Gal. in ventriculo succum offenderint, cum aliis cibis corrumpuntur: & Aliment. l. 2. cap. 11.

novo

novo quidem putredinis genere, quod verbis explicari nequit. Unde poterit unusquisq; discere, Medicorum non Poëtarum esse de Ciborum natura judicium ferre: ac propterea Horatium explodere, dicentem *lib. 2 Serm. Satyr. 4.*

ille salubres
Æstates peraget, nigris qui prandia Moris
Finiet.

Andreas Medicus apud Athenæum, panes in Syria fieri scribit ex Moris, cujus usu capilli defluant. *Dipnos. lib. 3. cap. 29.*

UVA.

Dulcis & apricis dilecta in collibus uva:
Terreus huic cortex, fervidus humor inest.
Excipe de nigris, quæ sit tibi gratior, albam:
Neve inflet soles sit remorata duos.
Bacche quid hoc majus potuisti munere? nutrit
Hæc bene, vesicæ sed male sana nocet.

Terreus huic cortex] Proportione respondens ut ait Gal. putaminibus nucum & conorum. *simplic. l. 9. cap. 8.*

soles sit remorata duos] Ventilatione Uvæ flatulentiam amittunt, &, ut loquitur Plinius, innocentiores fiunt, & stomacho ægrisq; magis vtiles. Solebant a. Veteres non solùm, ut nostris temporibus, Uvas suspendere, sed etiam recondere inter paleas in ollis musto repletis. Qua ratione etiam hodie Turcas addito sinapi toto anno recentissimas Uvas seruare testatur Busbequius legat. Turcicæ Epist. 1. *lib. 23. cap. 1.*

nutrit hæc bene] Id luculenter ostendit Gal. exemplo sui temporis vinitorum: qui cùm duos interdum menses solis ferè Uvis vescerentur, admodum tamen pingues fiebant & obesi: quamvis carne laxâ & præhumidâ, quæ citò consideret. *Aliment. l. 2. cap. 9.*

UVA PASSA.

PAssa jecur, stomachumq; juvat: mihi prima Corynthi est:
Iliacum tepido grata liquore levat.

Gal. lib. 2, Alim. c. 10. *Iliacum levat*] Passulis dulcibus, quales sunt Corynthiacæ, vis inest contemperandi & mediocriter detergendi. Quibus facultatibus ventris mordicationes obtundunt.

UVA IMMATURA.

QUid miseræ amplecti charam mihi profuit ulmum,
Tam subitæ mortis cùm meus extet amor?
O' felix Labrusca tuis servata racemis!
Quàm minor est multo sors mea sorte tuâ?
Non caleo, dulcisq; mihi non insitus humor:
Digna fovere fui pectora, nunc noceo.
Adstringo, ingluviem repeto, sum noxia bili.
Malueram Baccho debitus esse sopor.

Baccho debitus esse sopor] Vino n. conciliatur somnus: & qui eo nimium se ingurgitant, alto plerumq; sopore corripi solent. Quod non ita pridem in milite cataphracto cohortis Malatestæ Patavii obseruatum est: qui ex largo vini Cretici potu veternosus obiit.

LABRUSCA. PRUNA SILVESTRIA.

LAbrusca, incultæ decus arboris, acria Pruna,
Nata sub umbrosa, sole tepente, rubo,
Frigida sunt, vomitumq; tenent, fluxusq; retardant.
Gratia quanta Jovi? nil sine dote facit.

Oenan-

Oenanthe, ut in vulgatis Diosc. exemplaribus, dicitur *lib. 5. cap. 3.* ὁ τῆς ἀγρίας ἀμπέλου καρπὸς, ὁπότε ἀνθῇ. *Labrusca, seu Vitis siluestris fructus, cùm floret.* Vidi tamen apud Carolum Herbetum, insignem olim Botanicum Veronensem vetustissimum MS. codicem: in quo, inter plurimas, quas obseruabam, lectionum varietates, hoc quoq; loco τὸ τῆς ἀγρίας ἀμπέλου ἄνθος simpliciter legebatur: & quidē magis ex naturæ ordine. Florere nempe fructus non dicitur, sed flores subsequi. Galenus non καρπὸν, sed *per loca lib. 8. cap. 1.* ἐκβλάστημα σὺν τοῖς ἄνθεσιν vocavit, ἐξ οὗ ταῖς ἡμέραις σταφυλὴ γίνεται, *rudimentum cum floribus, ex quo succedentibus diebus uva gignitur.* Verba illa Dioscoridis, ὁπότε ἀνθῇ, Plinius interpretatus videtur, *cùm maximè olet* lib. 12. Hist. Nat. cap. ult.

Prunum Silvestrem Rustici Patavini *Spinum Nigrum* vocant: quem admodum Virgil. *Spinum Pruna ferentem.* *4. Georg. vers. 145.* è cujus fustibus, προύμνοις Galeno appellatis, in vini penuria potum parant: sed qui non rarò dysenterias inferat. *Aliment. lib. 2. cap. 38.*

BACCA LAURI.

Laurea docta caput, mucosaq; pectora, lumbos,
Et jecoris clausas radere Bacca vias.
Dira movet vomitus, & rusticitate retentâ,
Præ nimia fœtum perdit amaritie.
Menstrua subducit, lapidemq; epota resolnit
Quid mirum est? ussit si prius, usta modo est.

radere vias] Abstergere & ab infarctu liberare venas: *Gal. lib. 4. Simpl. cap. 18.* quod amari saporis propriũ est, ut & mẽstrua provocare. *fœtum perdit*] Radicis cortici id adscribit Diosc. l. 1. c. 40. *usta est.*] Poëticâ ὁμωνυμίᾳ cum superiori verbo, quo alludit ad notissimam Daphnes fabulam, calidum *ustum* dixit: fortassis unico hoc verbo ἐμφατικωτέρῳ exprimere

lib. 6. Simpl. volens, quod Gal. hisce duobus θερμαίνει σφοδρῶς.

Dignum a. mihi visum est, quod scriptis mandaretur, Anno MDCXXIX, qui proximè præcessit pestilentiam, Patavii Lauros ferè omnes, ut olim in Vejentano ante Neronis mortem accidisse memorat Suetonius, veluti maligno quodam sidere afflatas, exaruisse: cùm alioquin hiems illa satis mitis & clemens fuerit. Certo quasi præsagio Apollinem Musasq; subsequenti anno urbe illâ, bonarum literarum domicilio, excessuras.

in Galba

BACCA JUNIPERI.

GRatia Juniperi Baccis sitientibus ingens:
Palmonem stomachumq; igne tepente juvant.
Semianimem revocant matricem: Bacca dolores:
Juniperus flammis usta venena fugat.

igne tepente] calorem tepentem non facilè vocaverim, qui ad tertiam mansionem ascendit. Gal. quippe Juniperum tertio gradu calidum & siccum constituit: Fructũ verò, licèt nonnisi primo ordine siccet, similiter tamen calidum esse. Auctor tamen pro se stantem Dioscoridem habet: qui ἀρκευθίδας (sic n. Juniperi Baccas Græci vocant) modicè calefacere affirmat.

lib. 6. Simpl.

lib. 1. cap. 104.

venena fugat] Serpentes fugantur Juniperi suffimento. quo nil usitatius pestilentiæ tempore.

CUPRESSI CONUS.

ARescens calido reprimit conspersa Cupressus:
Vesicæ & nervis optima languidulis.
Est mala grata tamen, Ditiq; in funere sacra
Flet pueri assiduè lurida fata sui.

Cupressi fructus propriè Galbulus M. Varroni dicitur. Nam Conus aliis quoq; arboribus, quæ Coniferæ inde appellantur, communis est. *Rei Rust. l. 1. cap. 40.*

Ditiq; in funere sacra] Moris fuit Romanis Cupressi ramum præ foribus ædium figere, è quibus efferendum erat funus. Quod ideo factum scribit Servius, ne per ignorantiam ingressus Pontificum aliquis pollueretur. Inde sacra inferis habebatur. *3. Aeneid.*

Flet] Extillat è Cupressi resina quædam, larignæ consistentiâ similis. Cujus licèt rarus sit usus; tineas tamen & vermiculos mirificè necat: neganturq; res eâ inunctæ teredinem sentire.

DACTYLI.

Ardua dat dulci pomum tibi Palma tepore,
Cui dedit apta nimis nomina forma teres.
Hoc caveas: tumidum corpus torpedine replet.
Sic cedet vinci nescia Palma tibi.

forma teres] Ab humani digiti similitudine Palmulæ Dactylorum nomen sortitæ sunt. qua appellatione officinis innotuerunt.

corpus torpedine replet] Qui obstructionibus laborant ad necessaria munia torpidi redduntur. Facillimè a. obstruuntur naturalia viscera Palmularum esu, præsertim si virides & immaturæ fuerint. Nam molles & dulces, quales καρυωτὰ Græcis dictæ, innocentiores existimantur. *Gal. lib. 2. Aliment. c. 26*

Sunt a. Palmulæ omnes dentibus valde inimicæ: eosq; nisi statim purgentur, citissimè corrumpunt. Quam ob causam Ægyptios cæterosq; qui iis vescuntur, populos ante senectutem edentulos fieri observatum est. *Sala Alim. part. 1. c. 17.*

GRA-



GRANA MYRTI.

Dum sitibunda rigent, reseratos Grana cruores
Myrtea compescunt, & bene semper olent.
Corda senescentemq; jubent revirescere formam:
Hinc tibi grata putant Myrtea serta Venus.

revirescere formam] Succus & decoctum foliorum & *lib. 1. cap. 128.* fructuum Myrti ex Diosc. capillos denigrat, & emendat vitiligines.

Myrtea serta Venus] Myrtus olim Veneri sacra erat. *lib. 15. c. 29.* Fuitq; Plinio teste sub Aventino ara vetus Veneri Myrtæ dicata: quam postea Murciam appellaverunt: quia Venus, ut ait Varro, homines murcidos i. e. ignavos & in- *6. Aeneid.* ertes reddit. Inde Virg. illis, qui amoris impotentiâ tabuerant, aut sibi manus intulerant, Myrteam silvam apud inferos assignat.

Μυρτίδανον, ut refert Gal. in Hipp. Glossis, Piper quibusdam appellatum est. cùm aliàs *μυρτίδανον* propriè sit inæqualis & verrucosa quædam *ἐπίφυσις* caudici & ramis Myrti adnascens. Quæ cùm *μυρτὶς* quoq; vocetur, communi scil. cum Myrti granis appellatione; censent Viri *l. 27. cap. 19.* docti, Pliniũ inde materiã desũpsisse scribẽdi, Myrti Baccas Veteribus piperis vicẽ præbuisse, antequã illius usus reperiretur. Ego verò qualibet sponsione certaverim, haudquaquam hallucinatum fuisse Plinium: sed quæ sibi comperta erant scriptis consignâsse. Constat nempe farciminis quoddam genus apud veteres in honore fuisse, Murtatulum dictum, quia Murtis, non secus ac ho- *Dipnos. lib. 2. cap. 12.* die pipere, conditetur: indeq; Italicum *Mortadelle* nomen manâsse certissimum est. *Μυρτίδες* quoq; à Diphilo apud Athenæum inter condimenta seu bellaria recensentur.

BAC-

BACCA HEDERÆ.

SIcca nocens nervis Hedera eſt, & frigida parvo
Igne calet, variis ſic malè mixta modis.
Vina domant, firmantq́; caput, ventremq́; Corymbi,
Cinčte Hederâ nimirum tempora Bacche ſapis.

nocens nervis] Nocet quidem nervis, ut ait Plinius, intus ſumpta; at foris applicita iiſdem prodeſt. *lib. 24. cap. 10*

variis mixta modis] Ideo ancipitem in medicina Hederarum naturam dixit Plin. Quæ ùt ex contrariis compoſita ſit facultatibus docet Gal. l. 7. Simpl.

Vina domant] Ad arcendam, ut opinor, crapulam coronas ex Hedera æſtivis conviviis veteres adhibuerunt, ut colligitur ex Gal. lib. de cauſ. procatar. cap. 1. Tanta quippe eſt Hederæ cum vino inimicitia, ut non ſolùm ab ebrietate tutum præſtet; ſed nec vinum contineat κισσύβιον, ſeu vas Hederaceum. Quò fortè reſpicientes Poëtæ, Liberum Patrem Hederâ coronatum finxerunt: quam propterea βακχικὴν & Διονύσιαν appellaverunt. Inde βακχᾶν pro *hederâ coronari* apud Heſychium.

MALA MEDICA.

MEdica Mala ſumus: pelli vis ignea noſtra eſt:
Humentis bruma, nec bene cocta caro.
Ferreus eſt humor: ſectantur ſemina pellem:
Flos calet & folium: ſic voluere Dei.
Tarda caro eſt: ſuccus choleram fluxuſq; moratur.
Cor tepet hinc ardens, hinc tua membra nitent.
Semina, flos, folium, & cortex frigentia mulcent
Corpora, & epurant aëra peſtiferum.

Sola

Sola tamen volumus mandi: ſic gratus oleſcens
Nos bona dic veneris, non mala nec medica.

Hiſt. plant. lib. 4. cap. 4. Mala Medica, ſeu Citria, quæ & Perſica Theophraſto dicuntur, quatuor conſtant partibus, Cortice, Pulpa ſeu Carne, Succo, & Semine: quæ duo poſtrema ſeminis nomine complexus videtur Gal. l. 7. Simpl. De horum omnium temperaturis & gradibus variæ extant & pugnantes Auctorum ſententiæ: quas per otium legere poteris apud Coſtæũ in Annotationibus ad Avicennam. lib. 2 Tr. 2. cap. 120.

pelli vis ignea] Auctori potius, quàm Galeno ſubſcripſerim, qui corticem in actiuis aut temperatum eſſe, aut parum ſymmetrum ſuperare exiſtimat.

terreus humor] Frigidus & ſiccus tertio ordine.

tarda caro] παχύχυμον & φλεγματικὸν *pituitoſam craſſiq; ſucci* Gal. vocat loc. cit.

gratus oleſcens] Eo tantùm nomine Antiquis innotuit Pomum hocce. Theophraſti n. imò Plinii ætate nullus ejus fuit in cibis uſus: ſed ad mortifera tantùm pharmaca, oriſq; ſuaveolentia commendabatur.

NERANTIA.

Proxima ſunt, Itali dixere Nerantia, primis:
Vincunt pelle, parùm frigidus humor ineſt.
Verticibus miro ſunt hæc gratiſſima odore.
Dulce ſapit meliùs, pectoribuſq; favet.
Sint folia arboribus ſeruata virentibus ipſis:
Cætera ſunt menſæ commodiora meæ.

Nerantia, Aurantia, ſive, ut vult Braſavolus, Arantia ab Arantio Achajæ oppido, Veteribus incognita exiſtimantur. Νεραντζία tamen meminit Nicandri Scholiaſtes in Alexipharmacis, ubi de Fungis. Ex quo colligere in Præfat. Exam. Simpl.

licet,

licet, aut eam appellationem non ita recentem esse, aut Scholiastem postremis temporibus vixisse, quibus græcæ linguæ nitor exterarum gentium commercio contaminari cæperat. Quamvis Νεράντζιον sit idem cum nostro, cùm ille μηδικὸν μῆλον interpretetur, non affirmaverim.

MALA LIMONIA.

Assyrii pariunt etiam Limonia campi:
Crediderim succo hæc vincere prima malo.
Cætera subducunt, nec prima vigoribus æquant.
Sic nullo variis ordine dantur opes.

Mala Limonia, unde nominis originem traxerint, non constat. Ab humentibus enim & irriguis locis, quos Græci λειμῶνας vocant, eorum appellatio deduci nequit. Horum primum meminisse Avicennam observavit Pandectarius. Nisi dicere malimus, Citriorum nomine utraq; veteres complexos fuisse. Citriis enim, ut formâ, ita & facultate ferè respondent. Luxuriat autem quàm maximè in hoc Malorum genere Natura: & in eorum varietate sibi ipsi quodammodo placuisse videtur. Alia enim reperire est, quæ prægrandia Citria magnitudine æmulentur: alia contra adeo exigua, ut columbinum Ovum vix æquent: qualia in silvestribus circa Cairum nasci tradit Bellonius. Quædam habentur succo plenissima, eoq; dulci, acido, aut mixto: quædam sine succo, & tota ferè carnea. Alia formâ sunt rotundâ, oblongâ, turbinatâ, rectâ, curva. Alia cortice lævi, verrucoso, crasso, tenui. Alia deniq; (quod omnem superat admirationem) alterum in se parvum Malum, tanquam in utero fœtum suum includunt. Quorum

cap. 507.

Observat. l. 2. cap. 35.

Hist. Rarior. lib. 1. cap. 6. licet Clusius Limonum Prægnantium nomine meminerit, quia tamen præter nudum nomen nullam eorum notitiam reliquit; curiosis Botanophilis rem haud ingratam me facturum existimo, si vivam eorum imaginem ex recentibus fructus, quos Cydone à nobiliss. D. Emmanuele Mormori J. U. D. & Chloridis Mysta celeberrimo accepi, graphicè depictam exhibuero. Hoc tantùm circa eorum descriptionem adnotato; quòd externâ facie vulgaribus simillima sunt, nisi quòd circa umbilicum exuberantem veluti epiphysin quamdam habeant: quæ intus latentis Pomi conceptaculum est. Qua ablatâ, sese in conspectum dat mirabilis ille fœtus, cortice, pulpâ, cæterisq; sui partibus, cùm probè maturuit, absolutissimus.

De quo Deo dante alibi pleniùs. Interim Tu, si bonus es, imagine contentus esto.



FRU-


Malum Limonium Prægnans.
G.G. f.

FRUMENTA.

IAm Liber arboribus per aristas ire relictis
Parve potes: vario tempore multa legas.
Prima tibi aëria occurrunt Frumenta, maniplos
Excute, subruffa & grandia grana teras.
Plenius hæc repleant, fomentaq; plura ministrent.
Nulla magis Cereri grata corona datur.

Frumenta ea omnia appellari ait Servius, quæ ex se emittunt aristas, seu, ut ait Gal. quorum semina spicis continentur. καт᾽ ἐξοχὴν verò Frumenti nomine Triticum celebratur, utpote Cerealium omnium πολυχρησιμώτατον, & πολυχρηστότατον. Porrò illud optimum & præstantissimum Triticum dicendum, quod pingui solo natum est, maturum, mundum, colore aureum, lucidum, læve, nec nimis recens, nec nimiâ vetustate evanidum, sed aliquot menses requietum, grave, densum, fractu contumax, & quod multum farinæ præbet: cujusmodi est, quod latinis Robus appellatur.

lib. 1. Georg.
Aliment. l. 1. cap. 28.

FARRA.

FArra calent, minimum siccata: his esca tenacis
Sumpta cibi: mollem sacchara conficiunt.
Sic stomachum & pectus refovebunt. quàm bene dictum,
Sacchara non ullis posse nocere cibis.

Far duplex Veteribus fuit, Naturale & Factitium. Naturale (quo vetutissimos Romanorum CCC annos vixisse auctor est Verrius apud Plinium) latini vocabant semen Adoreũ, Græci, Gal. teste, ζέαν & ζεᾶν. Quid verò Zeæ nomine Veteres intellexerint, sibi non constare fate-

Hist. Nat. lib. 18. cap. 7.
per loca lib. 9. cap. 3.

fatetur idem Gal. lib. de Atten. vict. rat. c. 6. Quamvis Recentiorum quidam Speltam vulgo dictam Antiquorum Zeam esse affirment. Factitium initio quidem fiebat ex Farre-frumento (unde ipsi nomen) ab utriculis purgato, pinsito, & ruditer confracto: postmodum verò ex omni Frumenti genere fieri cœpit. Nam ex Olyra apud Ægyptios fieri scribit Plinius: & Palladius hordeaceo Farre phasianinos pullos pasci præcipit lib. 1. Rei Rust. tit. 29.

tenacis cibi] Validi & haud facilè dissolubilis nutrimenti. Hinc fortassis Virg. robusta Farra nominavit. *lib. 1. Georg. vers. 219.*

mollem sacchara conficiunt] Saccharum, præterquam quod palato lenocinatur, ingenitam Frumentaceis viscidit atem & lentorem castigat.

H O R D E A.

Sicca, gelu parvi, modicæ sunt Hordea cœnæ:
Febribus, in calidis pectoribusq; valent.
Inflant, occlusæ vesicæ claustra relaxant.
Nullus ea adstricti corporis æger edat.

modicæ sunt Hordea cœnæ] Minimum nutrire Hordeum eo argumento probat Gal. quòd panes ex illo facti frumentaceis omnibus friabiliores sint. Subditq; milites Romanos, ejus imbecillitatem damnantes, polentam, quæ ex Hordeo frixo fiebat, non comedisse. Imò invenio, ignominiosum militibus fuisse Hordeo vesci. Scribit n. Plutarch. Marcellum ab Annibale ad Canusium victum cohortibus, quæ terga dederant, tanquam ignominiâ notatis, Hordeum pro Tritico dari jussisse. *Aliment. lib. 1. cap. 10.* *in Marcell. circa fin.*

inflat] Inflat quidem: sed probè coctum flatulentiam omnem exuit.

vesicæ

vesica claustra rel.] Abstergente facultate, qua vrinæ vias ab infarctu liberat.

SPELTA.

Spelta venit melior, minimo tepefacta calore,
Cui tribuunt primos Hordea Farq; gradus.
Mira sed hinc res est: Speltâ minùs Hordea prosunt:
Et tamen hæc avidis prima vorantur equis.

lib. 1. Pempt. 4. cap. 4. Si eadem esset Spelta cum Farre, ut existimat Dodonæus, superfluum erat de ea hîc iterum agere. Sed cùm Res Frumentaria tot difficultatibus implicita sit, non est mirum si dissonæ Recentiorum sententiæ audiantur.

Rei Rust. l. 2. cap. 9. *prima vorantur equis*] Hordeum, quod Græci ἱππείχον nominant, Columella Cantherinum vocat: quoniam equos cæteraq; animalia bene pascat: non autem quia folliculo castratum nascatur, ut Gallus quidam putavit.

FABA.

Uda priùs Faba, mox fit terrea, turgida semper
Est tamen, & poterit somnia ferre mala.
Fresa minùs nocua est: crassos parit illa liquores:
Albentem intactam gurgulione legas.
Pectoribus, fluidæq; alvo vix commoda, ventri
Et capiti est morbus: dedita testiculis.
Hanc pipere & celebri poteram condire culinâ:
Vindicat hanc vilis sed sibi Rusticitas.

de Vict. acut. l. 4. text. 92. *turgida semper*] Legumina omnia, ait Hipp. quomodocunq; edantur, sive cruda, sive cocta, sive frixa, flatuosa semper existunt. Fabam verò eo vitio excellere inde colli-

colligas, quòd si vel triduo eam coxeris non omnem flatulentiam prorsus amittit, ut docet Gal. lib. 1. citati oper. comm. 18.

somnia ferre mala] Fabam ἀυσόνειρον vocat Diosc. i. e. insomniosam, ut vertit Marcell. Virg. seu, ut Ruellius, tumultuosa insomnia facientem. Quod leguminibus omnibus commune est.

intactam gurgulione] Gurgulio, seu Curculio, γαργαρεών, & κίς propriè dicitur frumentorū vermiculus: cæterorum a. leguminum τρὼξ: qui verò Fabæ innascitur peculiariter μύλας appellatur. Quomodo verò innoxiæ à curculionibus serventur Fabæ docet Columella l. 2. Rei Rust. c. 10. Ad Apolloniuma. Ionii maris urbem, Augusti Cæsaris græcarum literarum studio nobilem, Fabas nasci tradit Theophr. quæ nunquam corrodantur. *Hist. plant. lib. 8. cap. 10.*

pectoribus] Novi ego Patavii Juris Studiosum, qui quoties Fabas, quibus impensè delectabatur, comedebat, noctu corripiebatur Incubo: crassis nimirum & tetris vaporibus intercostales musculos opprimentibus. Hic fuit Jo. Fridericus Ronascus Pedemontanus: qui Anno MDCXX mense Julio cùm magnæ pilæ ludo validè se exercuisset, & æstuante corpore gelidam bibisset, derepente animo liquit, & paulò post extinctus est.

dedita testiculis] Inde fortassis Pythagoræorum illud, κυάμων ἀπέχεσθαι. Constat n. Fabis vescentes in venerem procliviores reddi. Norunt id quoq; nostri subulci: qui fatui & pigri cunni scrofas illarum pabulo ab subationem proritant. Quibus etiam Pavones ad libidinem provocari Palladius affirmat. *Rei Rust. l. 1. tit. 28.* Ut non immeritò suspectum videri possit, quod tradit Clemens Alexandrinus, mulieres & domesticas gallinas Fabarum esu sterilescere: cùm *Stromat. l. 3. cap. 2.* potiùs conceptionem, ut ferè venerem stimulantia, juvare

vare credendum ſit : ac propterea παρὰ τὸ κυᾶν à *concipiendo* κύαμον Græcis non incongruè fuiſſe appellatam.

C I C E R.

Fervet & areſcit Cicer omne, ſed ignea vincunt
Subnigra, pulmoni prima alimenta tuo.
Hæc reduci formæ, & vocum concentibus apta,
Si data ſint menſas inter utraſq; tibi.
Cortice non poſito renes, jecur, atq; lienem
Veſicamq; fovent, & venerem faciunt.
Hæc bona ſunt: turgent ſed aquoſa virentia: Tuſci
Cur tamen in primis ortibus illa vorant?

lib.2. cap.96. *reduci formæ*] Dioſc. coloris elegantiam & hilaritatem facere ſcribit.

cortice non poſito] Ipſi nempe ineſt abſtergendi vis validior.

Simpl lib.6. *veſicam fovent*] Cicera omnia id præſtant : ſed Arietinum, inquit Galenus, cæteris διουρητικώτερον eſt.

Nat. Hiſt. lib.18. cap.12. *& venerem faciunt*] Venereum propterea Plinio appellatur : & admiſſariis equis in eum finem dari ſolet. tentiginem n. ſi quid aliud, ſtrenuè & potenter promovet. in Acharn. Quò fortaſſis alludentes Græci, ut notat Ariſtophanis Scholiaſtes, ἐρέβινθον nomine αἰδοῖον ἀνδρὸς *virile pudendum* indigebant.

cur Tuſci] Toto Flaminiæ & Etruriæ tractu æſtate videre eſt pueros Cicera viridia, in faſciculos manuales congeſta, magnâ voce vendentes. Quæ non modò vulgares homines, ſed nobiliſſimi quiq; & matronæ ipſæ tragematum inſtar aridiſsimè comedunt. quamvis halitûs graveolentiam facere compertum ſit. Id quoq; ævo ſuo in more poſitum fuiſſe aſſerit Gal. lib.1. Alim. c. 22.

Obſer-

Obſeruârunt curioſi, Ciceribus nullos innaſci vermes: cùm reliqua ferè Legumina propria gignant inſecta. Eamq; ob cauſam putant, Veteres connubialibus ſacris myſtico ſenſu ea adhibuiſſe. Ego verò potiùs crediderim, reſpexiſſe illos ad dictam facultatem excitandi venerem: hoc veluti ſymbolo laterum robur, thorumq; pacificum ſibi ominantes. Languente n. tentigine friget quoq; conjugalis amor, & perpetuum viget uxoris cum marito diſſidium.

CICERCULA.

EXtumidos angit magis uda Cicercula ventres:
Et ſtomachum calido dura minore gravat.
Si Cicer hanc vincit; non his eſt æqua poteſtas.
Sic cedunt dominis infima quæq; ſuis.

Cicercula Græcorum λάθυρος eſt: ſoloq; colore differt à Cicera: de qua Columella inter pabulorum genera verba facit, & Galeni ὤχρος exiſtimatur lib. 1. Aliment. cap. 27. *Rei Ruſt. l. 2. cap. 11.*

PISA.

SUb cane ſicca parum frigentia Piſa parabunt,
Cortice depoſito, pabula ſana tibi.
Sed meliùs ſapient, ſi dulcis amygdala ſuccum
Præſtiterit: mirâ ſic jubet arte gula.

meliùs ſapient ſi dulci amygd.] Non modò fiunt palato gratiora, ſed corpori quoq; minùs noxia. Piſa n. teſte Gal. cùm Fabis ſubſtantiâ ſimilia ſint; minùs tamen, quam illæ, detergant, ideoq; ſegniùs per aluum ſecedant; additum oleum amygdalarum dulcium ipſis lubri- *Aliment. l. 1. cap. 21.*

citatem quandam conciliare videtur. Præterquam quòd eâ ratione præparata asthmati, tussi, cæterisq; pectoris affectibus conferre nonnulli sibi certò persuadeant.

PHASELUS.

Dum calet arenti & tibi manditur ore Phaselus,
Mox facit infirmo turgida membra cibo.
Si rubet, est melior, muliebria fortiùs effert:
Hunc fuge, si placida somnia noctis amas.
Si pipere & mulso faciet coquus arte salubrem,
Dic mihi, naturæ servit, an iste gulæ?

Silentio prætereundum non erat, ne nominis ambiguitas hæsitandi occasionem daret, Rembertum Dodonæū virum doctiss. contendere, vulgarem Fabam Veterum Phaselum esse. Nam Græcorum κύαμον, seu Latinorum Fabam æuo nostro incognitam suspicatur. Sed cùm mihi planè verisimile nō videatur, cognitionem tanti Leguminis: cui semper, inquit Plinius, maximus fuit honos, & ex quo etiam tentatus panis, ita prorsus deperditam esse, ut nunc demum Diogenis lucernam eo inquirendo adhibere debeamus; malo cùm reliquorum Botanicorum turba errare, quàm singularem ejus sententiam sequi. Sit igitur Veterum & Recentiorum Faba una eademq; & φάσηλος, φασίολος, & δόλιχος communis Phaseolus, ubiq; notissimum Legumen.

lib. 2. Pempt. 4. cap. 1.

lib. 18. c. 12.

Si rubet est melior] Meliores sunt rubei ex Avicen. quia calidiores: hisq; propriè inest facultas provocandi menstrua.

lib. 2. Tr. 2. cap. 255.

LENS.

Alvus ab igne levi Lentis siccata tumescit:
Hordea si reddant, dic Medice, innocuam?

Illa

Illa melancholicos, nervis inimica & ocellis,
Nec satis est, morbos, somnia dira, movet.
Scilicet extollat Pelusia munera Nilus!
Dulcia si addideris toxica dira facis.

Ab igne levi] Simeon Sethi Lentem primâ distantiâ frigidam esse ait: & ante ipsum Hipp. ψυχρότατον βρῶμα φακὸν *frigidissimum cibum Lentem* dixerat. Redarguitur tamen à Gal. comm. 5. in 6. Epidem. tex. 33. ubi nonnihil ad calidum vergere probat.

Alvus siccata tumescit[De Lentis carne seu pulpâ hoc intelligit. Nam primum ejus decoctum ventris solvendi vim habet, ob causam inferiùs cap. de *Brassica* dicendam.

Hordea] Coquebant Veteres Lentem cum ptissanâ: parabantq; earum mixtione ferculum præstantissimum φακοπτισάνην vocatum: de quo Gal. l. 1. Alim. c. 18.

inimica ocellis] Iis nimirum, qui visum inculpatum habent, immodicè siccando. Nam contrario modo se habentibus i. e. humidiori intemperie affectis potiùs opitulatur. *Gal. lib. 2. Alim. cap. 44*

Pelusia munera] Martialis imitatione *Accipe Niliacam, Pelusia munera Lentem.* Ad Pelusium enim Nili oppidum laudatissimæ Lentes. Quarum frequenti usu Alexandrinos cancro & elephantiasi familiariter laborare tradit Galenus l. 2. ad Glauc. cap. 10. *in Xeniis.*

Dulcia si addid.] Jure merito Gal. eorũ damnat consuetudinẽ, qui Lentẽ sapâ condire solebant. quippe incrassantium admixtione fit pessimũ alimentum, obstructionibus scirrhosisq; tumoribus gignendis accõmodatissimũ.

Fuerunt a. Lentes Romanis feralia & inauspicata Legumina: malumq; portendere visæ sunt exercitui Crassi, cùm ejus militibus ante certamen distributæ fuissent, ut refert Plutarch. in ejus vita, & Appianus Alex. lib. 3.

ORYZA.

Cum tepeat, ventrem retinens, & amygdalâ inungi
Lactè vel exposcat, siccat Oryza magis.
Sic pulmenta feret tibi plurima: si tamen inflat,
Nequitiæ poterit promptior esse tuæ
Sed moneo vexat patinas diuturna calentes.
Siste parum: veneri fiet & apta gulæ.

siccat Oryza magis] Si particula hæc referatur ad priora illa verba *cùm tepeat*, ut sensus sit, Oryzam magis siccare, quàm calefacere; optimè dictum. Calefacit n. primo: siccat secundo ordine. Si verò ad posteriora, lac scil. & amygdalas: ita ut innuere voluerit, Oryzam lacte amygdalisve conditam validiùs siccare; falsissimum est. Lac n. & amygdalæ dulces cùm laxandi & humectandi facultate polleant, quî fieri potest, ut Oryzæ siccitatem intendant? Asseruit hoc aptissimè Avic. qui Oryzam lacte & amygdalino oleo conditam copiosius & laudabilius nutrimentum præbere scribit: removeriq; ab ea siccandi & adstringendi vim.

lib. 2. tract. 2. cap. 575.

vexat patinas calentes] Id sæpè malo suo experiuntur voracissi. heluones: qui cùm propter ingluviem expectare nolint, ut hujusmodi ferculum defervescat, maximo convivarum risu sibi linguam & fauces adurunt. Hoc fieri arbitror ob crassam glutinosamq; ejus substantiam: cujus causâ fervidus vapor pertinaciùs inhæret, nec tam facilè evaporat, vt in materia tenui & aquia.

de Medicina Indor. lib. 3. cap. 16.

Notat in hanc rem Jacobus Bontius, Nautas, qui Moluccas & adjacentes Insulas annavigant, non rarò visûs dibilitate & omnimodâ interdum cœcitate infestari, non tamen permanente, sed quæ aeris ciborumq; mutatio-

ne

ne evanescat: observatumq; fuisse, hujusmodi symptoma ab esu calentis Oryzæ originem trahere. Propterea Batavis eò navigantibus pœnâ vetitum esse, Oryzam, nisi priùs refrigeratam, comedere.

MILIUM. PANICUM.

Sunt jejuna, alvum durantia, grata dolori,
Si Milia ignitis sint priùs usta focis.
Lacte incocta fovent, molli vel inuncta liquore,
Pleniùs: at cœnæ tarda tenacis erunt.
Panici uberior levioris mensa superbit.
Sæpius exiguis cedere magna solent.

Sunt jejuna] i.e. exigui nutrimenti. Sic Virgilius *glaream jejunam* & Rei Rusticæ scriptores *terram jejunam* dixerunt, exilem scil. macram, & avarè respondentem. Parum a. nutrire Milium omnes uno ore testantur: imò Gal. inter omnia frumentacea ὀλιγότροφον esse scribit. *sint priùs usta*] Milio discutiuntur tormina: in quem usum torretur ante, & in sacculo ventri admovetur. Quod fomenti genus Gal. in coli dolore feliciter usurpavit. Eligitur autem è cerealibus in hunc finem maximè Milium, quia nihil concipiendo retinendoq; calori eo aptius.

2. Georg. vers. 212. *lib. 7. Simpl.* *lib. 2. Meth. cap. ult.*

Panici uberior mensa] Hoc dictum præter Diosc. & Galeni mentem: qui concorditer affirmant, Milium uberiùs nutrire, & ad omnia præstantius esse Panico.

LUPINUS.

Siccior ardescit rudis incultusq; Lupinus.
Hic conviva tibi rustice durus eat.

Lum-

Lumbricis mors est: pleno jecori, atq; lieni,
Et præsentis opis renibus esse solet.
Gratia sit naturæ tibi, si villicus illum
Non colit, ipse suâ est tutus amaritie.

Plin. lib. 22. cap. ult. *pleno*] i. e. obstructo jecori. Hinc Lupini frequentiores in cibis colorem hominis exhilarare dicuntur: expugnatis scil. obstructionibus, quæ fœdum & tristem colorem inferre solent.

si villicus illum non colit] Qualitercumq; inquit Columella, Lupinum obruas sustinet coloni negligentiam, suâ ab animalibus omnibus amaritudine tutus. Mitescit autē & amaritudinē deponit cinere & aquâ calidis infusus. qua ratione præparatus apud nonnullas gentes pro bellariis esitatur. Quod mihi in mentem revocat festivissimum Zenonis dictum: qui cùm in familiares suos durus & iracundus esset: liberaliter autē potus placidus & lenis fieret, interrogatus, quidnam sic ingenium mutaret? idem sibi accidere respondit, quod Lupinis: qui suâpte naturâ amarissimi, ubi aquâ macerati sunt, dulcissimi evadunt.

Rei Rust. l. 2. cap. 10.

AVENA. LOLIUM. VICIA.

His Viciam, Lolia, & poteram committere Avenas,
Pluraq; quæ nullo terra ferente parit.
Segnia sunt, cultu, nec carmine digna, nec horto,
Cùmq; renascentur nulla ea mensa volet.

Non multum esset laborandum in redenda causa: cur
Plantæ aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte suâ veniant;
si cum Anaxagora sentiendum, ingenita esse aëri rerum semina: quibus cum aqua decidentibus omnia nascantur. Sed

Sed cùm opinio hæc multis difficultatibus urgeatur; satis erit pro re nostra dicere, Lolium, cæteraq; frugum vitia melioribus granis aut humidâ cœli intemperie aut soli uligine degenerantibus nasci: ut præclarè Plinius, & parentis sui experimento docet Gal. lib. 1. Aliment. cap. ult. Porrò Avena duplex est: altera sativa, Græcis βρῶμος dicta: altera degener, sterilis, & erratica, quæ αἰγίλωψ appellatur. Quamvis hæc nomina scriptores non rarò confundant. Vicia verò proprii generis legumen est: nec nisi proprio semine sata, quòd sciam, in nostris regionibus nascitur. Cujus species non ita pridem in Italiam allata grano prorsus candido. *Hist. Nat. lib. 18. cap. 17.*

CUCURBITA.

Succi aquei, cursûs rapidiq; Cucurbita, bilem
Vincit, & iliacum non bene cocta ciet.
Quàm bene grata tamen? cuicunq; admixta secundat:
Huic externa magis, quàm sua forma, placet.

Succi aquei] Aqueam Cucurbitæ naturam aptissimè Medici veteres exprimere visi sunt: dum eam, referente Plinio, *aquam coagulatam* dixerunt. *lib. 4. de Re Medica c. 6. Plinius hic à Fuchsio citatur sub nomini Plinii Valeriani.*

cursûs rapidi] Celeris descensûs. Mollit n. ventrem ob substantiæ humiditatem. Ut meritò ridendus videatur Pisanellus: qui Cucurbitas tardè descendere scribit.

cuicunq; admixta secundat] Cucurbitam inter ea recenset Gal. quæ Græcis ἄποια nuncupantur: suntq; omnis qualitatis expertia. Hæc causâ est, cur rerum omnium, quibus mixta conditaue fuerit, saporem facilè concipiat.

Cùm verò Cucurbitæ mentio opportuna inciderit, jure meo quodammodo uti videbor, si peregrinam rarissimamq; ejus speciem, quam ante annos ferme XVI omnium

nium primus Patavii, fortè etiam in Italia, colui, hìc proposuero. Quam si Tibi, Lector candide, tenui rudiq; stylo delineavero, veniam dabis, & ex ipsa potiùs fructûs structura, quàm ex verborum pompa & lenocinio Divini artificis opus admiraberis. E radicibus itaq; longis, tenuibus, pluribus fibris firmatis caulem emittit angulosum, subhirsutum, humiq; procumbentem: qui tamen frequenti ac numeroso capreolorum apparatu proxima quæq; arripiens imbecillitati suæ adminiculum quærit, & in editissima loca sese attollit. Folia promit primo statim exortu gemina, lævia, crassiuscula, in rotunditate oblonga, & à reliquorũ forma (quod in omnibus ferè plantis observatur) toto cœlo distantia. Quæ n. caulem vestiunt inæquali & angulosò ambitu, quinq; profundis laciniis diviso, ad viniferæ vitis folia proximè accedunt, subhirsuta, aspera, & saturo colore virentia. Ex horum sinu pediculus palmaris exit: qui flores sustinet elegantes, quinque foliorum, aurei coloris: modò plures simul congestos, atq; ordine sese explicantes, sed fatuos, inertes, & eâ ipsâ die inutiliter decidentes: modò singulares, eosq; fœcundos, & cum ipsius fructûs rudimento apparentes. hoc quoq; inter eos discrimine: quòd illorum centrum pallidiusculum occupant crispa aliquot foliola, concoloria, saturatiori marginie picturata: horum verò solidus pistillus: qui superiùs in tres aut quatuor partes fissus globosis capitulis parvos clavos quodámodo repræsentare videtur. Excrescit inde paulatim fructus in sesquipalmarem longitudinem, ab angustiori collo in ventrem nonihil turgescens: cortice initio viridi, nigris aliquot lineis ab ipso collo ad umbilicum usq; depicto: per maturitatem verò fuscam & nigricantem flavedinem sensim acquirente. Pulpam intus continet albam,

bam, ſuccoſam, innumeris filamentorum plexibus intertextam. Qua tandem abſumptâ & colliquatâ ſimplex remanet & mirabile illud Reticulum, tam ſolerti naturæ artificio elaboratum; ut nec verbis, me judice, nec accuratâ pictoris manu repreſentari ſatis poſſit. Semina triſulco per longitudinem meatu conduntur, copioſa, lata, albicantia, magnitudine, & figurâ Cucurbitinis prorſus ſimilia. quæ cauſa fuit, ut Cucurbitarum potiùs, quàm Cucumerum familiæ eam inſcribendam cenſuerim. Quod eo quoq; libentius feci, quia generoſus Eques Alphonſus de Andrada, Luſitanus, qui ſemina ex Arabiæ urbe Mecca, Mehemetis Pſeudoprophetæ natalibus infami allata communicavit, Arabibus *Charà be arir* i.e. *Cucurbitam Bombicinam*, ob eam, quam tenuia illa filamenta cum ſerico crudo ſimilitudinem habent, appellari affirmauit. Quod nomen etiam retinere viſum fuit. De hac fortaſſe Plinius: dum in Tylo ſinûs Arabici inſula Cucurbitas, maturitate ruptas, oſtendere ait lanuginis pilas: è quibus veſtes precioſo linteo faciant. Nam licet eas mali Cydonii formâ eſſe prodat, certum eſt ibi Plinium Mala & Cucurbitus perperam junxiſſe, quæ alibi apertè diſtinxerat: quod & ab eruditiſs. Salmaſio obſervatum video. Has quoq; in ſtamina, ſi congruum acceſſerit artificium, duci poſſe, non abſurdum videtur.


lib. 12. c. 10.

Exerc. Plin. pag. 396.

F Cu-


Cucurbita Bombycina Arabica

Cucurbitæ Bombycinæ Fructus, tum viridis, tum detracto cortice, Reticulum tantum exhibens.



CUCUMIS PARVUS. CITRULLLUS.

SI nocet humescens Cucumis, gelidusq; Citrullus,
ut tremuli ardores cordis odore levet:
Ne diuturna tamen sit concomitata, caveto,
Febris, in assiduos si datur esca cibos.
Hic bilem subigitq; sitim, stomachoq; calenti
Gratus erit Medici si sapit arte coqui.

CUCUMIS MAGNUS.

GRandior exoritur Cucumis sitientibus ægris,
Humidior, parvo vix tepet iste gelu.
Sordibus hic patulos reddit quoscunq; meatus:
Sæpe venenatæ sed dapis esse solet.

Vulgares Cucumeres plerisq; Italiæ regionibus *Citriuoli* dicuntur. Ad hujus vocis imitationem Autor Citrullos eos vocavit. Cucumeris verò Magni nomine Citrullum officinarum intelligit: cujus semina inter quatuor frigida majora censentur, & *Anguria* seu *Cocomero* Italis appellatur, & Græcorum πέπων esse creditur. Horum fructuum pravitatem ostendit Gal. lib. de succ. bon. & vit. cap. 8. ubi ex eorum corruptione succum fieri scribit, qui à mortiferis venenis non longè absit. Appositè ergo celebris in Gallia Medicus, cùm ex Artis quæstu splendidissimas ædes construxisset, earum postibus hoc carmen inscripsit:

Cæsalpin. l.5. de Plant. c.5.

Cocurges, cocombres, & melons
Ont fait bastir ces maisons.

PEPO.

P E P O.

Quarta tua eſt ſedes, poteras ſed primus haberi,
Cùm tepeas, dulci grate liquore Pepo.
Veſicam & ventrem reſeras: ſed prævius ito,
Ne tumidus noceas poſteriore cibo.
Quæ gravior tibi noxa tamen? vel perdita ſedes?
Vel tibi quòd Medici plurima vina negent?

Dubitant Viri docti, an noſtri Pepones Veteribus cogniti fuerint: & ſi cogniti, qua eos appellatione indigitáverint. Placet illorum opinio, qui μηλοπέπονα & σικυὸν σπερματίαν eſſe ſuſpicantur. Videntur autem Veteres σπερματίας cognominâſſe, quòd inter σικυὺς hi plurima proferant ſemina, & quæ maximè ſint veſca.

plurima vina] Imò nonnulli à Melonum eſu vinum omnino interdicunt: ne importuno hauſtu rapietur crudus ſuccus in venas: qui ſæpe malignis febribus materiam præbere ſolet.

F U N G I.

Biſſenos poteras irritamenta malorum
Ferre, Liber, Fungos: cura ſit iſta coquo.
Undenos, ſatis eſt, ſubitæ putredinis udas,
Dicere frigentes eſſe graveſq́; nimis.
Hi tamen inter ſe cùm diſtent; Claudius edit
Conjuge Boletos dante magis nocuos.
Si placeant, rabidi caveas contagia ferri,
Cumq́; venenatis putrida quæq́; locis.
Quiſq́; nocet capiti & ſtomacho: caligine ſenſus
Velat: & eſt cordi pernitioſa lues.

Niq́;

Niq; salutiferi medicamina pura falerni
Hauseris, urinæ vix erit apta via.
Funge vale: genitum nil miror nocte sub una.
Sic properant rapido noxia quæq; pede.

in Alexiph. Elegantissimè Nicander Fungos κακὸν χθονὸς ζύμωμα *malum terræ fermentum* vocavit: sive quia, ut inquit Scholiastes, ἀναζυμοῦνται ἔσωθεν μὴ πεττόμενα i. e. ut ego interpretor, *fermenti more intumescunt intus, ni bene coquantur*, unde suffocationis periculum: sive quia terræ succo, quem Plinius pituitam vocat, pluviarum ac solis ope accescente, & quasi fermentato nascantur: modo non absimili, quo fermento aquâ diluto ad Populi nigræ truncos Fungos, quos Ægiritas vocant, concrescere videmus.

lib. 22. c. 23.

Aliment l. 2. cap. 69. *Claudius edit Boletos*] Boletos Gal. ἀβλαβεστάτους *innocentissimos* vocavit: quòd iis neminem interiisse observatum sit. Quamvis & ipsi cholerã inconcocti nonnullis attulerint, ut idem testatur cap. 4. de succ. bon. & vit.

in Ludo de Claud. morte At Boletus, quo Agrippina Claudium sustulit, veneno, seu, ut Senecæ verbis utar, medicamentis opiparè conditus erat. Propterea flagitiosissimus Nero Boletos θεῶν βρῶμα *Deorum cibum* per jocum appellare solebat: quòd iis Claudius in Deorum numerum relatus fuisset. & Martialis Ceciliano suo, cœnarum captatori, & Boletorum gurgiti summo precatur, ut

Xiphilin in Claud.

lib. 1. Epigr. 21.

Boletum, qualem Claudius edit, edat.

caveas contagia ferri] Venenati evadunt Fungi, si panni marcor, si ferri rubigo, si serpentis caverna juxta fuerit. Cognoscitur quoq; eorum malignitas livido intus colore, rimosâ striâ, rancido aspectu, pallido per ambitum labro, &, quod rustici certissimum indicium prædicant, lento & glutinoso humore ex ipsis emanante.

Quisq; nocet] Ne quis putet sibi ab exitialibus tantùm Fungis

Fungis imminere periculum, sciat esculentos quosq; nimiâ copiâ pernitiosos fieri. Quod ego proprio periculo testari possum: qui anno MDCXXXIX die XIV. Octobris cùm Fungos, alioquin innoxios (nulli enim convivarum nocuerunt) liberaliùs in cœna ingessissem, præsens vitæ periculum adivi. Quippe sævissimis correptus symptomatibus ac penè suffocatus in multam noctem mortuo similis jacui: actumq; de me procul dubio fuisset, nisi roborata vino Cretico & Mithridaticâ antidoto natura sarcinam deposuisset. Superveniente enim sub auroram diarrhocâ materiæ, supra quam dici possit, fœtidissimæ singulari Dei beneficio liber evasi: tanto tamen universi corporis relicto languore, & ἀνορεξίᾳ, ut vix sequenti triduo è lecto surgere aut cibum sumere potuerim. Disce igitur, amice Lector, meo exemplo, anceps hoc cibi genus aut omnino ablegare, aut nonnisi parcè in mensas admittere.

FUNGUS LYNCURIUS.

Ultimus exposcit primos sibi Lyncis honores
Fungus, honoratas dignus adire dapes.
Igneus est, jecori & renum medicina lapillo
Vesicæq; datur: prandia grata gulæ.
Quòd Lapide est ortus forsan mirabere? mirum
Grandius est Lapidem mox alit ipse suum.

Siquid in tota Simplicium universitate est, quod philosophi contemplationem mereatur, illud certè non in postremis fuerit, effodi è terra Lapides, qui toto ferè anno fœcunditate inexhaustâ Fungos ferant. Lynceos seu Lyncurios, quasi è Lyncum urina concretos Lapides vulgo vocant. Ea enim jamdudum inveterauit opinio,

Lyn-

Lynces, hominũ usibus invidentes, egestam urinam, terrâ operire, quæ succedente tempore vertatur in Lapidem λυγγύριον appellatum. Quamvis autem Diosc. & Plin. id falsum & fabulosum existiment: & Brasavolus non semel à se collectam in Leporariis referat terram Lyncum urinâ madidam, nihil tamen ex ea concrevisse; non ausim ea de re hìc quidquam decernere: cùm videam gravissimos viros nescio quem Lapidem spongiosum Lyncurii nomine ostendere. Sufficiat in præsens dixisse, Lapidem Fungiferum, de quo hìc sermo, legitimum Lyncurium, si modò in rerum natura existit, non esse. Ut enim cætera omittam argumenta: quis sibi persuaserit unquam, ex Lyncis, animalis non valde magni, lotio Lapides centum & plurium interdum librarum excrescere. Quibus adde, hujusmodi Lapides effodi pluribus Regni Neapolitani tractibus: in quibus nullos nasci Lynces apud omnes in confesso est. Si quid igitur in hisce vulgi ineptiis conjicere licet, existimo ego, id nominis Lapidi factum esse, quòd optimæ notæ effodiantur ad Collem Pardi, ditionis Procerum Columnensium, unde celebratissimæ Anticoli aquæ derivantur: atq; ex natali loco primùm Lapides Collis Pardi appellatos fuisse: inde verò sciolum quempiam ex Pardo Lyncem, & ex Lynce demum Lyncurii nomen ineptissimè effinxisse. Vel quia Fungi ex eo prodeuntes, crebris illis, quibus sunt sparsi, maculis, ut mox dicetur, maculati tergora Lyncis quodammodo referre videantur. Si cui verò conjectura hæc mea non arriserit, probabiliora suopte marte investiget. Cæterùm cùm istorum Lapidum non vniusmodi sit forma & magnitudo, hìc illum Tibi ob oculos ponam, quem à Cl. V. Tobia Aldino, Botanicorum nostri seculi peritissimo dono accepi. Est autem magnitudine bubuli capitis:

Exam. Simpl. pag. 542.

tis: cujus etiam figuram non inconcinnè refert superficie asperâ, rugosâ, rimis nonnullis hiulcâ; colore partim intensè nigro, partim dilutiore, & ad cinereum vergente; substantiâ porosâ, pumici non absimili, longè verò ponderosiori: quæ & silicis frustulum ita insertum habet, ut connatum esse videatur. argumento quidem non levi, Lapides istos & lento ac glutinoso terræ succo, & adjacens quidlibet inviscante coalescere. Hic pingui terrâ modicè tectus, & tepidâ subinde conspersus Fungos fert suavissimos: figuræ modò rotundæ, modò ovatæ, sæpe etiam inæquali labro, varisq; ac sinuosis anfractibus humanas auriculas æmulantes: colore interdum flavo, interdum dilutè purpureo; semper verò crebris spadiceis vel atrorubentibus maculis aspersos: quæ priusquam obsolescant, non parvam ipsis elegantiã conciliant. Illud porrò admiratione non vacat: quòd scapus, qui ab evulso Fungo lapidi inhæret, sensim induratur, ac eandem cum lapide soliditatem & substantiam acquirit: ita ut Fungus Lapidem & matricem suam, ut ait Poëta noster *alere*, & alimentum, quod accepit, ipsi quodammodo rependere videatur. Cæterùm an hujusmodi Fungorum Veteres cognitionem ullam habuerint, non facilè erit, me judice, determinare. Theophrastus quidem in Mari Erythræo Fungos nasci tradit: qui sole tacti *ἀπολιθοῦνται lapidescant*. At è Lapide Fungos prodire, nondum memini me legere. Quod enim scribit Hermolaus Barbarus, esse ubi Plinius hoc innuerit; ego certè in Auctore illo, quem nõ perfunctoriè me legisse profiteor, nihil tale me observâsse memini. Evacem autem, quem Pandectarius profert, eruditi pro legitimo nõ agnoscunt. Quid verò si de his loquatur Aristeas apud Athenæum?


Hist. Plant. lib. 4. cap. 8.

Corollar. 698.

cap. 447.


Μύκησι δ' ὀρέχθει τὸ λάϊνον πέδον.
Fungos concupiscit Lapidosus ager.

Verùm de hujuſmodi Fungorum natura & generatione fuſiùs in PARALEIPOMENIS noſtris BOTANICIS. In quibus præter innumeras ab aliis non deſcriptas aut pictas Plantas quicquid à cæteris Herbariis cùm in Plantarum Deſcriptionibus, tum in earundem Figuris, aut omiſſum, aut perperam exhibitum eſt, Deo dante, proponemus. Interim illorum imaginem ad vivum expreſſam hìc damus: quibus adjunximus Fungos Lapideos, quos in Mari Rubro propriis manibus legit ingenuus vir Coſmus Nerius Mercator Romanus: ſub aquis quidem molles, friabiles, ac planè fungoſos: ex iis verò eductos, ſoliſq; radiis tactos, illico lapideſcentes, ut ex Theopraſto ſuperiùs retulimus.




Fungus
Lyncurius











Fungus Lapideus ex Mari rubro.







PANIS FRUMENTACEUS.

Debita naturæ tua non modò charta, Libelle,
Ars petit emeritam, siste parumper, opem.
Viuimus arte: fovet nos in omni tempore Panis:
Nec sapiunt lautæ, si sine pane, dapes.
Fervet, & artificis curâ conditus amicâ
Fæcundo vincet salgama quæq; cibo.
Pituitam fermenta adimunt huic mixta tenacem:
Sal faciles aditus membra ad alenda dabit.
Ars bona: sic geniti sumus, ut moriamur: amicâ
Tu tamen æternùm vivere quaris ope.

Ut nullus est cibus, qui homini magis familiaris sit, quàm Panis; ita quoq; nullum esse arbitror, de quo plura, quàm de illo dici possint. Cui argumento cùm ab aliis abundè satisfactum sit; sufficiet ad Auctoris nostri dilucidationem hæc paucula veluti per synopsin adnotare. Panem omnium alimentorum optimum & saluberrimum esse validissimis argumentis, ratione, & experientiâ deductis probavit Cl. Jo. Dominicus Sala, præceptor meus nunquam satis laudatus Part. 1. Aliment. cap. 18. quo Lectorem remitto. Panis autem differentias omnes tum ex farinæ partibus, tum ex præparandi ac coquendi modo accuratè ex Gal. Ægin. alisq; colligit Dod. lib. 1. Pempt.
lib. 18. c. 11. 4. cap. 3. ubi singularum etiam vires exponit. Quibus addo ego Parthicum, seu Aquaticum à Plinio ita vocatum, quòd aqua trahatur à tenui & spongiosa ejus inanitate: quem eundem esse puto, qui Patavii *Pan Matto* vocatur.

lib. 2. capp. 24. & 25. *pituitam fermenta adimunt*] i. e. visciditatem & lentorem frumentis ingenitum. Notandus igitur Celsi lapsus: qui

qui Panem fermentatum stomacho alienum: Azymum verò eidem idoneum esse scribit. Gal. enim experientiâ duce, optimum Panem debere congruâ fermenti & salis mixturâ constare ubiq; affirmat. Ut hinc pateat etiam, quàm rectè sanitati suæ consulant, qui Pane planè insulso familiariter uti solent.

geniti sumus, ut moriamur] Non aliâ quidem lege hac luce fruimur, quàm ut naturâ jubente eandem deseramus. Si quid verò est, quod humanæ vitæ curriculum producere possit, id certè est optimus & simplicissimus cibus, qualis est Panis. Quod Gal. comprobare visus est exemplo Antiochi Medici & Telephi Grammatici: qui solo ferè pane contenti illæsis sensibus, membrisq; omnibus integris ad extremi senii metam feliciter pervenerunt. *lib. 5. de Sanituen cap 4.*

PANIS NON FRUMENTACEUS.

Quid sapiant alii, velles si vendere, Panes
Pistor, ab inscriptis quære Leguminibus.

Panis non Frumentacei tot constitui possunt varietates, quot sunt materiæ, quæ farinam, aut quid farinæ analogum, præbent. Non enim sola Legumina, cæteraq; Cerealia semina, sed & arborum fructus, imò dulcium quorundam lignorum scobes, herbarumq; radices apud nonnullos populos in panificia recipiuntur. Alpium incolæ, atq; ubi Castanearum copia suppetit, ex earum farina panem parant. Alibi quoq; cæterarum frugum inopiâ ex Palmulis, ex Sycomori fructu, ex Aquatici Tribuli medulla panes conficiunt, imò quibusdam populis pisces siccati sūt panis loco. Mexicanis populis farinæ & panis materiam præbit domesticæ plantæ radix, quam Hiyuccam

cam barbaro nomine appellant. Cujus duas prægrandes quadras mihi dono misit, & pleniorem ejus historiam & imaginem ad vivum expressit Cl.V. Tobias Aldinus, Botanicus Pontificius, & Amicus meus omni officiorum genere colendus. Cujus præclaras animi dotes, si pro dignitate recensere vellem, mihi face & viatico opus esset futurum. Sed vel me tacente, frustraq; ringentibus zoilis perpetuò loquentur præclara ejus monumenta, quæ edidit, & quæ mox editurus est. Ut enim est Exoticorum Simplicium sedulus, curiosusq; indagator, brevi rarissimas Plantas, aliaq; quæ collegit, publici juris faciet. Sed ut ad rem, unde tanti Viri commemoratio me averterat, redeam, Legumina licet Gal. ea appellari velit, quæ Pani conficiendo sunt inepta, contrarium docuit usus, & duris urgens in rebus egestas, quæ non modò illa, sed viliora & pejora quoq; panificiis non semel accommodavit. Nec possum sine maximo animi horrore meminisse; quod Anno MDCXXIX in extrema illa annonæ caritate, quæ universam penè Italiam afflixit, quibusdam locis usurpatum vidi: miseros nempe rusticos ex tritici, aut etiam melicæ furfure, glandibus, fracibusq; simul pinsitis sibi panes paràsse: quorum unum, ceu tantæ calamitatis monumentum, adhuc servo. Unde facilè conjici potest, qualis chymus ex ejusmodi cibo gigni potuerit: ac propterea mirum videri non debet, si mox innumerabiles & lethales morbi subsecuti fuerint: quos tandem excepit funestissima illa Pestilentia, quæ multas Italiæ regiones miserè devastavit. Ut propterea non minùs verè quàm eleganter Græcis in proverbium cesserit, *μετὰ τὸν λιμὸν ὁ λοιμός.*

Hort. Fernes. cap. 2. sect. 3.

Simplic. l. 6. cap. 16.

VINUM

VINUM.

Vina bibe, humentes sed sint imitata tepores:
Antiqui calices, nec nova musta placent.
Alba colas: meliùs reseratis postibus intrant
Corpora, & emulcent: sunt Nigra sicca magis.
Si tibi subrubro salientia grata colore
Sunt, modò sint olido munda sapore, bibe.
Corda juvant, vires reparant, subitamq́ reportant
Lætitiam: modicis sed bibe sumpta cadis.
Dulcia pectus alunt, jecori mala, pessima ventri
Turgidulo: somnos hæc veneremq́ ferent.
Cæcuba fumoso, nimiumq́ furentia viro,
Sensibus & stomacho deteriora nimis.
Forsitan & Chium expectas grandesq́ Falernos?
Sunt mihi pauca malo nec sine rura Capro.

humentes imitata tepores] Vinum, ut in activis calidum esse fatentur omnes; ita de passivis ejus qualitatibus inter Auctores non planè convenit. Fuitq; hoc adeo controversum patrum nostrorum tempestate inter Bartholomæum Gajonum & Antonium Fumanellum magni apud Veronenses nominis Medicos: quorum ille humidum, hic siccum esse contendebat; ut ad arbitros res deferri oportuerit. Electusq; inter alios controversiæ judex Hieronymus Fracastorius Philosophorum & Medicorum illius ævi facilè princeps victoriam Fumanello adjudicavit, latâ hac de re sententiâ, quæ inter ejus opera legitur. Contra quam Consalvus Barreda Hispanus acerrimi ingenii vir pro Gajono doctissimè disputavit. Hujus demum rationes convellere Fumanellus conatus est. Quàm feliciter autem Medici viderint.

Antiqui calices nova] Vinum vetus plus justo calefacit. Mustum verò, ait Gal. nil habet boni, nisi quòd alvum moveat. Quæ conditio si absuerit, omnibus numeris noxium evadit.

de Succ. bon. & vit. c. 11.

subrubro salientia col.] Qualia sunt *Tiperga* & *Augustana* Patavii nuncupata.

Cæcuba] Cæcubum non erat peculiaris Vini species: sed in unoquoq; genere optimum & generosum longâ ætate inveteratum Romani, Gal. teste, Cæcubum vocaverunt.

loc. cit.

grandesq; Falernos] Falernum veteribus id fuisse putat Brasavolus, quod nunc Romæ *Greco di Soma* appellatur.

com. in 3. de Vict. acut. tex. 1.

Pugnandi autem vim acquiret Vinum, si fidem meretur Diosc. consito ad Vitium radices Helleboro nigro. Scribit etiam Phanias Eresius apud Athenæum, Mendæos Macedoniæ populos pendentes in Vitibus Uvas elaterio rigare: ideoq; ventrem solvere vinum, quod ex iis fit.

lib. 4. c. 134.

Dipnos. lib. 1. cap. 23.

VINA AQVATICA.

Calda minùs; sed sunt magis humida Aquatica Vina:
Si ferat hæc stomachus, sensibus apta, bibas.

Vinum Aquaticum, quod Græci ὑδατώδης & ὀλιγόφορον vocant, id Galeno propriè dicitur, quod colore album, substantiâ tenue est: nec ullam earum, quæ cæteris Vinis insunt, qualitatem habet, non acrimoniam, non austeritatem, non dulcedinem, non adstrictionem, non odorem. Huicq; soli datum, ut cum vini tum aquæ mala effugeret: neq; enim adeo frigidum, ut Aqua, est: neq; ut cætera Vina calidum & vaporosum.

de Dieta Acut. lib. 3. tex. 8.

ACE-

A C E T V M.

Ulcera si ventris, vel pectora lædit, Aceti
Commoditas tamen est non tibi parva coque.
Frigore si poterit Nervis nocuisse, rependit
Damna, potest ægro si revocare famem.

nervis nocuisse] Acetum non frigore tantùm nervis & exsanguibus partibus infensum est, sed etiam substantiæ tenuitate, qua in profundas partes ita sese insinuat, ut ne minimum quidem illarum ejus noxam effugere possit. *Gal. de Diæt. Acut. lib. 3. tex. 39.*
revocare famem] E rei natura videtur Germanis dictum *essich* ab infinito *essen* quod est comedere: quòd appetitus Aceto rebusq; acetosis in primis acuatur.

S A L.

Nunc riget, ante liquor fuerat Sal: siccat & ardet.
Cur tamen epotus corpora fluxa ciet?
Gratior albus erit, ruber est urentior: omni
Laus: Sale non posito mensa nec olla sapit.

siccat] Argumentum sufficiat eorum, quæ saliuntur: quæ in ligneam interdum duritiem siccari conspicimus. Hinc genituram quoq; absumere impensè exsiccando nonnulli tradiderunt. Quod ut de immoderato usu non negandum: ita modico & frugali seminalem vim excitari certum est. Inde Salacitatis nomen deductum putant. Ac propterea Ægyptios Sacerdotes, cùm vitæ puritatem amarent, Sal omne, tanquam nequitiæ irritamentum, aversatos tradit Plutarch. lib. 8. Sympos. quæst. 8.
nec mensa sapit] Jure condimentum Sal appellatum legimus. Cujus olim tanta in mensis religio fuit, ut eas sa-

cras reddere crederetur. Hodie quoq; superstitiosos reperire est, qui ominosum putant, si Sal in mensam effundi contigerit.

L A C.

Dulce sapit: subitò cur Lac putrescit? aquosum est.
Quod præstat? Capra: post? Ovis: inde? Bovis.
Cui nocuum? capiti, putridis & febribus: ora
Inficit & dentes: sed benè pectus alit.
Quando bibam? primùm cùm sugis ab ubere: somnus
Huic, moneo, & motus, mixtaq́; mensa nocet.
Tot petis? unum oro: cur in contraria fertur,
Et modò Lac reserat, & modò fluxa tenet.

Gal. lib. 3. Alim. cap. 15 & Simpl. l. 10 *præstat? Capræ*] Hic est inter Lactis species bonitatis gradus. Caprillum optimum censetur, quia mediæ est consistentiæ, & ad muliebris conditiones proximè accedit: Ovillum pejus, quia crassius: Bubulum pessimum, quia crassissimum.

nocuum capiti] Vide Gal. sect. 5. Aphor. comm. 64.

inficit & dentes] Nil æquè dentibus ac gingivis noxium, ac frequentior Lactis usus. illas enim humidas, hos verò lib. 5. de San. tuen. cap. 7. putrefactioni & erosioni obnoxios reddit. Galenus se quendam vidisse asserit, qui diuturno Lactis usu dentes omnes amisit. Propterea consulit, ut sumpto Lacte os primùm melicrato, deinde vino adstringente colluatur. Sic enim gingivæ roborantur: & quod caseosum dentibus adhæsit, abstergitur.

cur in contraria fertur,] Quòd ventrem solvat Lac, à Sero habet: quòd eundem sistat, à Caseo. Ut igitur plus aut minus serosum fuerit Lac, sic plus minusve alvum sistet aut ciebit.

subito

subito Lac putrescit] Facilè corrumpitur Lac ob partium heterogeneam naturam. Si tamen à ventriculo probè concoquatur, viscerumq; naturalium transitus faciles & apertos inveniat, vix est reperire salubrius meliusve alimentum. Exemplo sint Philinus ille, quem toto vitæ cursu non alio cibo aut potu, quàm Lacte, usum scribit Athenæus lib. 2. Dipnosoph. cap. 6. & agricola apud Galenum, qui cùm solum ferè Caprillum lac sumere consuevisset, centesimum vitæ annum excessit. *loc. cit.*

B U T Y R U M.

LAc dabit aërii tibi condimenta Butyri:
Nec mirum, è gelido marmore flamma micat.
Pectora demulcent ventremq; doloribus apta:
Non sunt plura gulæ, sed satis ista coquo.

pectora demulcent] Quæ pectus leniunt & demulcent, omnis adstrictionis & austeritatis expertia esse debent. Quocirca corruptus censendus est Plinii textus, ubi Butyrum adstringere scribit: quod nempe Gal. expuitionibus aliiq; thoracis affectibus conferre testatur. Optimè igitur Mercurialis lib. 1. variar. lect. cap. 6. ex ejusdem Galeni mente pro *adstringere* censet eo loci restituendum *digerere*. *Nat. Hist. lib. 28. cap. 9.* *lib. 10. Simpl.*

C A S E U S.

SI calet antiquus siccescens Caseus, humet
Et gelidus novus est: inter utrunq; placet
Si novus impinguat, siccat vetus: attamen ambo
Et capiti, & stomacho, pectoribusq; nocent.
Mensa ferat medicum, vel nullum: renibus illi
Sunt nocui & jecori: nil habet iste boni.

ſiccat vetus] Acrimoniam & ſiccandi potentiam acquirit Caſeus ab admixto coagulo: quæ eo ſemper validior evadit, quo ille fit antiquior.

Menſa ferat medium] Non bene ſanitati ſuæ conſulunt, qui recentiſſimos Caſeos in deliciis habent; & qui juxta vulgare proverbium cenſent, caſeum præſtantiorem eſſe, quo Lacti vicinior. Quibus autem notis & indiciis caſeum bonum à malo diſcernas, te docet Gal. lib. 3. Alim. cap. 17.

OLEUM OLIVARUM.

Pingue Oleum mollit ventres, humetq́; calenti
Temperie, & pingui fert alimenta cibo.
Hoc ſine nil condita ſapit lactuca: ſed unde hoc,
Inſipidum cùm ſit dejiciatq́; famem?

ſed unde hoc] Poterat hoc aliis problematibus adjungi, quæ fusè de Oleo proponit Gal. lib. 2. Simpl. cap. 5. An igitur cibis quibuſdam additum Oleum gratiam conciliat, quia pingue & temperatum eſt, ideoq; excedentes in eis qualitates & ſapores corrigere & temperare poteſt?

O V A.

Flent leve cocta, tremuntq́; & vix coeuntia mandi
Nollent: nata modò, ſi ſapis, Ova bibe.
Humida ſunt, celeriſq́; cibi, flammaq́; tepentis:
Sed durata time nec requieta velis.
Pectus alunt, tuſſimq́; levant, ſunt optima raucis.
Inſanoq; thoro prandia grata parant.
Sed, moneo, hæc marcent facilè, & tot commoda perdunt.
Sic nihil ex omni parte juvare poteſt.

Humi-

Humida sunt] De totius Ovi, ac singularum ejus partium temperatura varias & inmuneras sententias lege apud Brasavolum comment. in lib. 1. Hipp. de rat. vict. acut. text. 27. ut & varias coctturæ differentias sect. 2. Aphor. comm. 18.

sed durata time] Ova Dura præter plurima alia mala, contumacissimas ventris suppressiones inferunt. Refertq; idem Brasavolus: Monachum quendam ob largum eorum esum, cohibitâ ex toto alvo diem obiisse. Ego quoq; elapsis annis Patavii Rusticum vidi in Xenodochio D. Francisci simili de causa mortuum.

nec requieta velis] Requieta dixerunt veteres Ova antiqua & jam evanida.

insano thoro] Iis, qui in venerea palæstra strenuè se exercuerunt. Ova enim sorbilia præterquam quòd citissimè nutriunt, fractasq; vires instaurant; venerem quoq; excitare, & genituram augere creduntur. Unde usus obtinuit, ut nouiter nuptis Ova recentia, seu, ut Apulejus loquitur, Gustula manè propinentur. *lib. 9. Metam.*

M E L.

Ignea vere legas & Mella nitentia succo
Subruffo: hiberno tempore lecta mala.
Dulcia sunt: somnis blandum lenimen & imo
Pulmoni, turges si tamen, illa time.
Hæc stomachum reparant, hæc à putredine fœda
Omnia tutantur, gloria magna Apibus.
Sed nihil aut modicum hoc ventri: mirabile majus:
Quod nocet, educunt, quod juvat, illa tenent.

vere legas] Verno Melli primus locus meritò tribuitur. Constat enim roscidam illam materiam, quam cœli sudo-

rem, siderum salivam, purgantisq; se aëris succum elegantissimè vocat Plinius, siquidem pura legi nequit, tunc meliorem esse, cùm è cœlo cadens optimorum florum doliolis excipitur: indeq; ab Apibus sucta elaboratur. Quod verno tempore contingere nemo ignorat. Accedit Arist. auctoritas, qui lib. 9. Hist. Animal. cap. 41, ubi, cùm Mellificii duo tempora constituisset, Ver & Autumnus, ἥδιον δὲ, inquit, καὶ λευκώτερον, καὶ τὸ συνόλον κάλλιόν ἐστι τὸ ἐαρινὸν τοῦ μετοπωρινοῦ: *sed vernum suavius, candidius, & omnino præstantius autumnali est.* Nec putes ipsum sibi adversari Philosophum, dum lib. 5. ejusdem operis cap. 21. Autumnale Mel præfert. ibi enim, ut Scaliger notat, de Melle sermonem habet pro alimento fœtûs Apum. Incassum igitur locum illum sollicitat Casaubonus: qui Aristotelis mentem non assecutus, pro μέλι τρέφειν, reponendum putat μέλι φέρειν.

lib. 1. de Antidot. cap. 2. *succo subruffo*] Gal. in optimo Melle colorem ὠχρὸν *pallidum* desiderat: Diosc. ὑπόξανθον *subflavum*: Arist. χρυσοειδὲς *aureolum*.

Dulcia sunt] Mel ciborum dulcissimum vocavit Gal. de atten. vict. rat. c. 12. Sed dantur & Mella amara: quale est Sardorum, & quod in Ponto super absinthiis ab Apibus legitur. Præstantissimum tamen Mel non simplicem dulcedinem, sed mixtam acrimoniam habere debet. (Gal. lib. 6.)

à putredine]. Cadavera etiam ipsa olim condita fuisse legimus. Plinius se vidisse affirmat allatum ex Ægypto ad Claudium Cæsarem Hippocentaurum in Melle. Qui plura hac de re cupit, adeat Laurentium Pignorium Symbolar. Epistolicar. 45. (lib. 7. cap. 3.)

SAC-

SACCHARUM.

SAcchara grata magis tibi dulcis arundo miniſtrat.
Liber adi: nocua nec timeantur Apes.
Cumq; minùs caleant, minimùm ſiccata videntur.
Omnia chara, mihi ſunt meliora nova.
Pectoribus, ſtomacho frigenti aptiſſima: Melle
Si minùs abradunt, ſunt magis apta gulæ.
Lac, dulces fructus, Mel, pluraq; dulcia portas:
Nec liber es ſapidus: plurimia amara tenes.

Pauca admodum de Sacchro à Veteribus prodita ſunt: qui illud tantùm noviſſe videntur, quod ſponte ſuâ è calamis exſudans ſolis ope concreſcebat ſalis in morem. Unde etiam *Salis Indi* nomine ab Ægineta appellatum fuit. Id autem à Sacchro noſtro materiâ neutiquam diſferre, ac alii ſenſerunt, doctiſſimè diſputat Matthiol. lib. 1. Epiſtol. Medic. 14. Quod & nos, Deo dante, alibi pleniùs probabimus. *lib. 2. cap. de Ling. aſperitate.*

CARO.

SI domini fortaſſe, Liber, te menſa vocabit,
Inſcie ne pecces, ultima menſa tua eſt.
Quadrupedes vario current huc ordine: plumâ
Nobilis huc poſitâ quaq; volabit Avis.
Quadrupedum humidior cibus eſt: tua portio dextrum
Sit latus: uda tamen, ſi licet, oſſa pete.
Dulciùs hæc guſtum alliciunt: tuus iſta tepeſcens
Semianimiſq; calor concoquet igne levi.
Parva, ſapis, vel ſi mavis lactentia: cedant
Teſticuli teneris carnibus iſta licèt.

Masculus oblectet: fastidit fœmina: pingui
Ferventes nimio sublevat illa cibos.
Externum incoctæ carni dabit olla liquorem:
Innatum retinent assa tepente foco.
Si te gratus odor volucrum trahet, ita cachinnos
Ne moveas domino simplicitate tuâ.

ossa pete] Caro, quæ prope ossa est, sive quia uberiori calore foveatur, sive quia externis injuriis minùs sit exposita, sive quia per motum magis fatigetur, suavior, tenerior, & concoctioni aptior judicatur: ideoq; ab edentulis senibus expeti solet.

vel si mavis lactentia] Caro lactentium animalium tenerrima quidem est. at visciditate, lentore, nimiâq; humiditate damnanda.

testiculi teneris carnib.] Non omnium animalium testes laudandi. Taurorum enim Arietum, Hircorum, & similium virosum quid redolent: ideoq; minùs boni censentur. Commendantur Gallmaceorum, præcipuè altilium: de quibus illud protulit Avicenna, quòd tantum nutriant, quantum ponderant.

Si te gratus odor volucrum] Respicit hic alimenti copiam, non qualitatem. Nam volucrum caro paucissimum quidem alimentum præbet, si ad gressilium conferatur: laudabilius tamen, & quòd faciliùs à calore nostro concoquitur.

CARO PINGUIS, ET SALSA.

Exitus est facilis Pingui, & vix nutrit: avari
Salsa cibi est Caro, ni sæpius inde bibis.

ni sæpius] Hic videtur sensus. Caro salita ob substantiæ ariditatem ægerrimè conficitur, nisi liberali potu in ventriculo maceretur, & ejus distributio promoveatur.

OCU-

OCULI. CEREBELLA.

Quadrupedum effodias Oculos, Cerebella Volucrum.
Uda nimis, calidum ni piper addis, erunt.

Plutarchus scriptum reliquit, suo primùm tempore Cerebra in ciborum censum venisse: quæ majores sui abominati fuerant: nec injuriâ. Nauseam enim excitare experientia docuit. Et ideo Gal. vomituris Cerebrum pinguibus conditum summis epulis dari jubet: seriòq; monet, ne iis, qui non appetunt, quos Græci ἀποσίτους appellabant, ullo modo exhibeatur. Volucres Cerebrum habent Pedestrium tanto præstantius, quanto durius.

Symposiac. lib. 8. qu. 9.

Aliment. lib. 3. cap. 8.

U B E R A.

Sunt aquea & pluvio si lugent Ubera lacte,
Carne minus sapiunt, nec sine lacte placent.

Mamillares Glandulas lacte turgentes Gal. οὔθατα appellat: crassiq; succi esse ait; sed copiosum & laudabile alimentum præstare, si bene habitum animal fuerit. Hodie inter præcipuas epularum delicias celebrantur Bubulæ & Suillæ è lactentium animalium ventre exsectæ. Quod haud credas novum esse gulæ inventum. Plutarchus enim invehitur in sui temporis ganeones quosdam: qui fœtarum scrofarum ventres & mammas virgis cedere solebant: quo caro lacti ac sanguini mixta, & veluti in unum coagulata palato jucundior evaderet.

de esu carniũ in princ.

COLLA. HEPAR.

Colla Jecurq; calent: Collum sed fortiùs humet.
Gallina, Anser, Anas mollius Hepar habent.

de Succ. bon. & vit. cap. 6. Id tantùm de Collis Avium notat Galenus, quòd ventribus & intestinis duriora pejoraq; sunt: nisi quòd ob motum excrementis careant. Inter Hepata autem quàm maximè extollit Suis multarum carycarum esu saginati: *Aliment. lib. 3. cap. 12.* quod Græci συκωτὸν Latini *ficatum* dixerunt. Aliàs omne jecur crassi est succi, & concoctu difficilis.

PEDES. ALÆ.

PEs places Anterior, sed non minùs Ala: tepores
Aërios hæc est non imitata minùs.

Quadrupedum Pedes anteriores, Aviumq; Alæ, si cum cæteris animalis partibus conferantur, levioris substantiæ faciliorisq; coctionis existimantur. Quod tum cordis viciniæ, tum assiduo motui, quo dictæ partes exercentur, *Aliment. lib. 3. cap. 20.* tribuendum: quem tanti fecisse videtur Gal. ut Anserum, imò Struthiocamelorum, quorum carnes, utpote *de succ. bon. & vit. cap. 6.* calori nostro vix superabiles, ubiq; damnet, Alas à proborum ciborum censu non rejiciat.

REN. COR. PULMO. LIEN. VENTER.

DEt Volucrum aërios Renes coquus: ipse Lienem,
Pulmonem, Ventres, siccaq; Corda voret.

Ex animalium Renibus solos Gallinaceorum præsertim altilium laudat Gal. lib. de succ. bon. & vit. cap. 4. sed nec improbandi aliarum Avium, quæ boni sunt succi.

BOS. VITULUS. TAURUS.

ASsiduos habeant Vitulum tua prandia in usus:
Humida cui sapido juncta sapore caro est.

Terrea

Terrea bilem affert tetram digeſta per annos:
Nunc eme: ſic ſtomacho fit levis eſca tuo.
Ne tamen incertis natura laboribus erret,
Cogetur pando Bos dare colla jugo.
Spectet ad exortum ſolem frons frigida Tauri:
Siccior eſt: Hyadas ſi fouet, illa ſapit.

Humida] Caro Vitulina Bubulæ comparata, humida quidem eſt, ut juniorum omnium animalium reſpectu ſui generis adultiorum. At ſi cum Agnina aut Porcellina conferatur, naturâ eſt ſiccior, & concoctioni alimentoq; ferendo magis idonea Gal. lib. de ſucc. bon. & vit. cap. 4.

Hyadas] Hyades ſtellæ ſeptem ſunt in Tauri fronte: quas Veteres, nt ait Feſtus Pompejus, putantes à Suibus denominatas eſſe, modo latinè loquendi Suculas appellaverunt; cùm tamen ὑάδες dictæ fuerint ἀπὸ τοῦ ὕειν à *pluendo*. Iis enim orientibus & occidentibus tempeſtates largiq; imbres oriri ſolent. unde pluviæ, triſtes, nimboſæ à Poëtis appellantur.

AGNUS. VERVEX.

ANniculus placeat, vel ſi ſine teſtibus Agnus:
Pinguior eſt Hœdo: cùm calet olla, vores.
Hunc amo ſi duri per paſcua montis anhelet:
Maluero ſi Auri Vellere dives erit.

vel ſi ſine teſtibus] Arietes libenter Averrhoi relinquamus: qui eorum carnem optimam eſſe contendit, primumq; illis poſt Hœdos locum tribuit: videturq; Galenum carpere, quòd Arietinam improbaverit. At Vervecina omnium conſenſu ſaluberrima exiſtimatur: ita ut, ſi quan- *Collectan. lib. 5. cap. 32.*

si quando in Italia *βίνωμα* grassatur, non alia magis in hominum usus cedat.
cùm calet olla] Adscititiâ ollæ caliditate carnis humiditas nonnihil temperatur.

HOEDUS. CAPER.

Hoedulus ad domini saltet, sed frigidus, aras.
Vix calet: ille ægris uda alimenta feret.
Cùm malè olet, siccat, fit jam Caper improbus: absit,
Et cadat ante focos victima, Bacche, tuos.

sed frigidus] Cur Hœdinam frigidam comedere debeas, quære ex Galeno comm. in Hipp. 4. de rat. vict. in acut. text. 100. & Avic. lib. 1. Fen. 3. doctr. 2. cap. 7.
uda alimenta] De Hœdo idem, quod de Vitulo, judicium esto. Eodem enim censu utriusq; caro habetur à Gal. lib. de succ. bon. & vit. cap. 4.
fit jam Caper] Caper interdum accipitur pro Hirco, seu Caprarum admissario: propriè tamen marem exsectum significat: quod apertè ex Martiali colligitur lib. 5. Epigr. 71. Cujus carmen, quoniam lepidissimum est, & ad rem nonnihil facit, placuit hìc totum exscribere.

Vite nocens rosâ stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata focis.
Quem Tuscus mactare Deo cùm vellet Haruspex,
Dixerat agresti fortè rudiq; viro,
Ut citò testiculos peracutâ falce secaret,
Teter ut immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitq; manu;
Ingens iratis apparuit Hernia sacris:
Occupat hanc ferro Rusticus atq; secat.

Sic

Sic ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
Talibus & fibris numina prisca coli.
Sic modò qui Tuscus fueras, nunc Gallus Haruspex,
Dum jugulas Hircum, factus es ipse Caper.

SUS. APER.

Sus tibi cœnosò sit cœna domesticus ore.
Grata ferat nobis mensa hiemalis Aprum.
Ille, licèt currat de vertice montis, aquosa
Carnis erit, pluri sed tamen apta cibo.
Hunc feritas, silvæq; domant, & inania saxa:
Post meliùs posita rusticitate sapit.

aquosa carnis] Argumento tibi sit, præter exuberantem animalis pinguedinem, humiditas illa, quæ ex carne, dum torretur, copiosissima extillat.

pluri apta cibo] Imò ciborum omnium, teste Gal. firmissimè nutrit. Propterea Athletæ ad tuendum corporis robur ea ferè uti consueverunt, *de Atten. vict. rat. cap. 8.*

Est autem Suilla Caro humanæ temperamento & sapore quàm simillima. Reperti enim sunt impii caupones, qui hospitibus humanas carnes pro Suillis apponerent: donec tandem in ipso crimine deprehensi tam immanis ac horrendi facinoris debitas pœnas darent. *Gal. Simpl. lib. 10. cap. de Sang. Suillo.*

CAPREOLUS. DAMA.

Jam canibus laqueos injungite: jam lacer udam
Tingit humum roseo sanguine Capreolus.
Hic optata feret nobis fomenta calore
Uda levi, modicis moxq; coquenda focis.

Dama-

Damula adusta magis, si matris ab ubere rapta est:
Huic prior in nostro fortè erit orbe locus.

Sunt qui inter feros Quadrupedes Damis & Capreolis saporis & bonitatis palmam tribuant: idq; ob pernicitatem & inquietos motus: quorum causâ minimum excrementorum continere eorum carnem verisimillimum est.

BUBALUS.

Bubalus hinc abeat, neve intret prædia nostra.
Non edat hunc quisquam: sub juga semper eat.

Semel ego Bubalinam carnem comedi: quam adeo lentam viscidamq; expertus sum; ut glutinis instar labiis & palato adhærescerет. Non immeritò igitur Fiera noster à Cœna sua illam proscripsit.

CERVUS.

Terreus est, volitat sed Cervus: retia tendas,
Ne fugiat: nervis, cùm tumuere, favet.
Si vereare nigram bilem, sit captus anhelo
Esca cani: Cordis sed priùs Ossa legas.
Illa venenatum poterunt depellere virus.
Sic nihil est penitus, quod sine laude voces.

nervis, cùm tumuere, favet] Quid sibi velit Auctor, fateor me non assequi. Ceruinam enim carnem nervis potiùs officere credendum est: cùm nimiâ copiâ, ut ait Simeon Sethi, tremulum & infirmum corpus reddat. Nisi hoc de ejus medulla & pinguedine peculiariter dictum intelligamus. Quæ, ut mollientium omnium præstantissimæ, induratis contractisq; nervis prodesse possunt.

Cordis

Cordis Ossa legas] Andreas Vesalius constanter negat, in Corde reperiri osseam substantiam. Quodq; Ossis è Corde Cervi nomine inter Alexipharmaca commendatur, nihil aliud esse, quàm arteriæ magnæ & veræ arterialis invicem coëuntium radices. Quæ in Ceruis siccissimo temperamento donatis tempore ita indurantur; ut costarum quadrupedum cartilagines æmulari videantur. Quidquid ea de re sit: vidi ego apud Joh. Baptistam Vvindterium Medicum Bavarum hujusmodi Os, quod non osseam modò, sed lapideam ferè duritiem referret. Venatores à figurâ *Crucem Cerui* appellant. *de Hum. corp. Fabrica lib. 1 cap. 20.*

AD LECTOREM.

Longa tibi & forsan, Lector, mea Cœna molesta est:
Ne satur inde vomas, finis ubiq; mihi est.

LEPUS.

Auriti Leporis mihi pulpamenta reponas.
His meus abradi jam didicit stomachus.
Ignea sunt, alvum durant, sed renibus arctas
Et femori norunt hæc reserare vias.
Juppiter alme datur Lepori si sexus uterq;
Nec fera, nec malus est: omnibus esca placet.

Auriti Leporis] Græci, ut grammatici volunt, Leporem λαγωὸν appellaverunt ab intensiva particula λα, καὶ τῶ ὤτων. Aures quippe grandiores habere videntur, quàm pro corporis magnitudine.

sexus uterq;] Anilibus deliramentis annumerandum puto, Lepores utroq; sexu præditos esse: & mares promiscuo cum fœminis munere utero gestare: quod ab Au-

de Animalib. lib. 13. cap. 12. ctoribus proditum est. Ælianus enim captum fuisse refert Leporem marem: è cujus ventre tres Lepusculi extracti fuerint: qui & lacte nutriti supervixerunt. Cui respondet, quod tradit Langius, captum prope Oelvuangh Cervum ab Henrico Comite Palatino: in cujus ventre hinnulus, membranulis circumseptus inventus sit. Simile quid de Hyæna fabulati sunt Veteres: qui alternis annis inire & initi commenti sunt. Hos arguit Arist. lib. 6. de Hist. Anim. cap. 32. & lib. 3. de gen. animal. cap. 6. Illos venatorum experientissimi: qui nihil tale sibi unquam visum, mihi non semel affirmaverunt: sed Leporibus fœminis interdum nasci ad inguina tumores duos: qui testes quodammodo referre videntur. Et hinc fortassis fabulæ origo.

Epist. Medic. lib. 1. Ep. 70.

in Xeniis. *omnibus esca placet*] Cui nempe Martialis inter Quadrupedes gloriam tribuit: eam fortassis ob causam, quòd vulgo creditum fuerit, ejus esu homines formosos fieri, ut idem in Gelliam jocatur lib. 5. Epigr. 30.

CUNICULUS.

Credideram Leporem: sic forma simillima fallit.
Ambo superfœtant: dente vel aure pares.
Ambo timent: distant tamen: uda Cuniculus affert
Fercula viscosum semi-imitata gluten.
Hunc torre igne tamen. suffossa evertere castra
Bætidis audebit, si modo credis, aquis.

Hist. Nat. lib. 8. cap. 55. *Credideram Leporem*] Ad Leporum genus etiam Plinius hoc animal refert, quod in Hispania Cuniculum appellatum ait. Ubi ventre exsectos vel uberibus ablatos fœtus, Laurices vocatos, non repurgatis interaneis in delitiis fuisse scribit.

Ambo

Ambo superfœtant] Tradit Herodotus solum Leporem ex animalibus brutis superfœtare: aliumq; fœtum educare, alium gestare in utero pilis vestitum, alium nudum, alium tantummodò inchoatum. Plinius verò lib. 8. cap. 55. & lib. 10. cap. 63. idem Dasypodi quoq; proprium esse scribit. Verùm an Dasypus à Lepore differat, apud Auctores controversum invenio. Budæus quidem Plinium iis locis alucinatum credit, dum ea animalia diversa statuit, eo argumento, quòd Arist. Leporem ubiq; Δασύποδα vocaverit. Et reverâ si universa Arist. opera evoluas, unico tantùm in loco lib. 1. Hist. Animal. c. 1. λαγωὸ nomen offendes. Quod tamen ab imperito aliquo scriptore è marginali glossemate in textum insertum fuisse, rationabiliter existimat eruditissimus Salmasius Exercit. Plin. pag. 282. Addit Budæus in sententiæ suæ corroborationem, Terentianum illud *Tute Lepus es, & pulpamentum quaris*, non aliunde deductum esse, quàm ex veteri græco Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ. Unde concludit Dasypodem & Leporem unum idemq; animal esse. Quibus verò argumentis ductus Christophorus Landinus, qui Plinium Italicæ consuetudini tradidit, Dasypodem Taxum verterit, alii perquirant.

lib. 3. cap. 108 · *in Pandectis lib. antiq. 3. ff: in pars bæred. petatur.* · *Eunuch. Act. 3. sc. 1.* · *lib. 10. cap. 63.*

suffossa evertere castra] Ex M. Varrone memorat Plinius à Cuniculis suffossum in Hispania fuisse oppidum. Et in Balearibus Iusulis tantâ fœcunditate crevisse, ut populatis frugibus extremam famen incolis attulerint: qui propterea adversus eos militare auxilium à Divo Augusto petere coacti fuerint.

Hist. Nat. l. 8 capp. 29. & 55

ERINACEUS.

SI tibi Echinus adest, stomachum fovet, ilia mollit:
Humet, & urinæ membra relaxa tenet.
Febris in antiquæ cœnâ optatissimus: ægris
Antidotum nervis nobile salsus erit.
Scilicet hic mos est Naturæ: excelsa recondit
Munera. dumosum tot bona tergus habet.

ilia mollit] i. e. ventrem solvit: quod de Terrestri Herinaceo prodit Avicenna. Duplicem enim ejus statuit differentiam: Terrestrem seu vulgarem, & Montanum, quem alii Histricem vocant. *lib. 2. tr. 2. cap. 239.*

urinæ memb. rel. tenet] Prodest eo nomine pueris permejentibus stragula. Quinimo assiduo ejus usu Dysuriam etiam excitari scribit idem Avic. loc. cit. ex quo Auctor ad verbum omnia deprompsit.

GLIS.

NIl juvat umbrosi latitare cubilibus antri
Glis tibi: vita & mors hic tibi somnus erit.
Nec pingui nocuisse malo: ingeniosa libido
Interdicta gulæ noxia quæque vorat.

Quanti Veteres in conviviis suis fecerint Glires, abundè Petronius testatus est: dum inter conquisitissimas dapes, quibus luxuriosa illa Trimalchionis cœna erat instructa, Glires melle & papavere sparsos recenset. Varro quoq; iis saginandis Gliraria construere docet. Eòq; pervenit hominum luxus; ut non alio modo, quàm Conchylia, aut ex alio orbe, vt ait Plinius, advectas aves Censoriæ leges eos cœnis adimere debuerint. Castor Durantes tempe- *Rei Rust. l. 3. cap. 15.* *Hist. Nat. l. 8 cap. 57.* *Thesaur. sanit.*

ramen-

ramento calidos & ſiccos eſſe ſcribit, ſed errore manifeſto. Gal. enim animalia, quæ naturâ frigidiora ſunt, pinguiora omnia eſſe docet, ut ſunt Urſi, Oves, Sues: quæ verò calidiora ſiccioraq; , gracilia eſſe, & pinguitudine carere. Pinguiſſimos autem eſſe Glires, neminem latere arbitror. Nec obſtat, quòd βουλίμῳ laborantibus eorum uſus opem ferat. Id enim præſtant non caliditate, qua ſtomachi intemperiem corrigant; ſed pinguedine inſigni, qua immodicam ejuſdem ſuctionem obtundunt. Adde profundiſſimum & pluſquam veternoſum ſomnum, quo animal totâ hyeme detinetur, nonniſi frigidi & humidi temperamenti eſſe indicium. Sed audi quàm eleganter hujus Animalis naturam expreſſerit Martialis in Xeniis. Simplic. lib. 3. cap. 20.

Tota mihi dormitur hiems: ſed pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

GALLUS. CAPUS. GALLINA. PULLUS.

Jam vigil excubitor nos increpat: ocyùs ito,
Jam rubet orta dies, ſegnis inerſq; Liber.
Cedendum eſt. Lybici Gallum timuere Leones:
Omen habet certis in fera bella notis.
Ilia fortè doles, & ſomnum feſſulus oras,
Incocti pingues ſint tibi potus aquæ.
Prandia ſi dederit, Veneris nocumenta protervus
Neſciat: hinc ſicca eſt & malè grata caro.
Sit puer: aut falſo Cybeles pro nomine pœnas
Exigat, & poſito ſit tibi teſte Capus.
Sic bene pinguis erit: ſic jam dormire licebit:
Et pariet rauca fercula plura gula.

Huic

Huic Gallina vices, vel si magis humida, primas
Nigra dabit, partûs sit licèt impatiens.
Hi cerebrum, veneremq; fovent. minùs ignea Pullis
Vis data: sub sicco sint mihi cœna cane.
Maxima testiculis positis tibi gloria Galle:
Somno, alvo, Veneri gratus es, & Cybeli.

Gallum timuere Leones] Nil decantatius apud Auctores, quàm Gallinaceum Leonibus terrorem incutere: eosq; vel solo cantu & aspectu in fugam conjicere. Hoc scribit Plin. lib. 10. cap. 21. lib. 8. cap. 16. Solin. cap. 29. Ælian. lib. 5. de Animal. cap. 50. aliiq; cum Veterum tum Recentiorum quàm plurimi. Quibus mantissæ loco addit Plinius, neq; à Leonibus aut Pantheris attingi, qui jure Galli se perunxerint. Quis non miretur hasce ineptias occupâsse tantorum hominum mentes? Vivunt adhuc Patavii quamplurimi, qui anno M DC XX Leonem viderunt in diversorio Ciconiæ prope publicas Scholas: qui non modò Gallinaceum è proximo loco cucurientem non semel audivit; sed eundem sibi objectum absorpsit veriùs quàm voravit, ne minimo quidem timoris edito signo. Ut hinc discamus non tam pronè nugis istis fidem adhibere. Vulgatissimum præterea est in Gallinaceorum ventre Alectorium gemmam reperiri, crystallinâ specie, magnitudine fabæ. Cujus mirabiles vires recenset idem Plin. lib. 37. cap. 10. & Solin cap. 3. Nescio cur hoc mihi fortuna experimentum inviderit. Sanctè testari possum, me innumeros propemodum Gallinaceos in hunc finem secuisse, & juvenes, & adultos, & decrepitos; nec ullum unquam Lapidis rudimentum aut vestigium invenisse. Habuit tamen in suo Museo eruditissimus Pignorius Alectorii titulo Lapidem, fabâ longè majorem, turbinatæ figuræ, fusum, nulloq; nitore com-

Lib. 29. cap. 4.

commendabilem. Oſtendit etiam mihi V. Cl. Jacobus Zabarella, Patavii olim Simplicium Profeſſor, Lapillos aliquot varii coloris & figuræ: quos in annoſi Capi ventre repertos afferebat. Qui porrò an fuerint in illius ventre geniti, an ab eodem cum cibo degluriti, in re incerta non affirmaverim.

Ilia fortè doles] Ilia Celſo propriè dicuntur partes inter coxas & pubem imo ventre contentæ: Græcis λαγόνες, & κενεῶνες. Hìc verò, ut toto ferè hoc Opuſculo, Ilium nomine ventrem ſeu inteſtina omnia Auctor comprehendit. Quorum dolori, præcipuæ Coli, jus Galli potiſſimùm veteris mirificè prodeſt: quippe quod calefacit, detergit, attenuat, flatus diſcutit, ventrem ſolvit, & omnino ea præſtat, quæ hujuſmodi doloribus pellendis requiruntur. Jus autem ipſum vocat *aquam pinguem* phraſi ſatis barbarâ: quam puto à JCtorum aliquo mutuatum fuiſſe. Memini enim apud Inſtitutionum Civilium neſcio quem Interpretem, inter varias hujus verbi JURIS ſignificationes, hæc formalia legere: *Jus dicitur quoq; aqua pinguis.* lib. 4. cap. 1.

falſo Cybeles pro nomine] Sacerdotes Cybeles Gallos appellatos fuiſſe, nemo cultioribus literis vel parum imbutus ignorat à Gallo ſcil. Phrygiæ flumine: cujus aqua poti in furorem agebantur, adeo ut ſibi ipſis virilitatis teſtimonia amputarent: quæ deinde condebant ſubterraneis quibuſdam locis ſacris ad Cyzicum, quos λιβείνας θαλάμας vocat Nicandri Scholiaſtes in princ. Alexiph.

Nigra dabit] pennarum color in Avibus, non ſecus ac pilorum in Greſſilibus, temperaturæ indicium eſt. Gallinis itaq; albis, tanquã humidioribus præferuntur nigræ.

partûs ſit licèt impatiens.] Licèt ſit junior & nondum pepererit.

Quod

Quod tradunt nonnulli è Volucribus solas Coturnices Epilepsiâ infestari, falsum esse non ita pridem deprehendi. Habui enim Gallum, qui frequentissimè eo morbo corripiebatur. Is cùm in corte sanus vagaretur, imò Gallinam sub vesperam compressisset, paulo post Epilepticus factus mortuus est. Epilepsiâ, ut opinor, in Apoplexiam mutatâ: ut hominibus etiam accidere quandoq; obseruatum est. Rabiei quoq; obnoxios esse Gallinaceos, ex Cælio Aureliano colligere licet. Acut. Pass. lib. 3. cap. 9.

ANSER. ANAS.

Anser, Anasq́; tibi sit pleno domestica succo;
Si validi es stomachi: Rustica dura nimis.
Anseribus magis ardet Anas: præstantior Alis
Est cibus: hæ prosunt vocibus & veneri.
Quisquis honoratum jecur ausus mandere primùm,
Hic Messalino doctior arte gulæ.

l. 2. tr. 2. c. 42. *Anseribus magis ardet Anas*] Imò domesticis omnibus Avibus Avicennæ credimus.

præstantior Alis] De his superius lemmate PEDES. ALÆ.

Phytogn. l. 1. cap. 16. *prosunt vocib.*] An quia, ut scribit Porta, animalia obstrepera, inter quæ Anseres enumerat, homines loquaces reddunt? an verò hoc peculiariter de Alis intelligendum: quæ, ut substantiæ levioris & magis aëreæ, spiritales partes similitudine quadam fovere possunt? Venerem autem non solùm Alæ, sed & Anserum Lingua mirificè excitare creditur.

honoratum jecur] Anserinum jecur inter lautissimas dapes olim habitum, & etiamnum habetur. Crescit in amplam molem, præsertim si Anseres fartilibus saginentur, ut ipso

Ansere,

Ansere, inquit Martialis, majus videatur. Incertum, ait Plinius, Scipio Metellus Vir Consularis, an M. Sejus Eq. Romanus tantum bonum invenerit. *lib. 10. cap. 22*

Is Messalino] Messalinus Cotta, Messalæ Oratoris filius, gulæ studiosus, si quis alius unquam, fuit: qui Plinio teste palmas pedum Anserum torrere, atq; in patinis cum gallinaceorum cristis condire primus reperit. *loc. cit.*

IBIS. CICONIA. GRUS.

Ibis in antiquos redeatq; Ciconia luxus,
Escaq; Pygmæis Grus nocitura suis.
Anguibus Ætneo sit perniciosa vorago
Ventre: graves odi, quæ nocuere, dapes.
Sat Medico latum est meriti: si mantica mollis
Intestina lavat; munus ab Ibide habet.

Anguibus sit perniciosa] Scribit Plinius in Thessalia capitale fuisse Ciconiam occidere: eandemq; legibus pœnam, quæ in homicidam. Tanta enim ea in regione nascitur Serpentum copia; ut nisi à Ciconiis continuò conficerentur, incolas solum vertere necesse esset. Ibides quoq; Serpentibus innoxiè vesci tradit Solinus cap. 34. *lib. 10. cap. 23* *Arist. de Ad. mirandis.*

mantica mollis] i. e. Clyster: cujus inventionem Ibidi debemus: quæ rostri aduncitate, inquit Plinius, per eam partem se proluit, qua reddi ciborum onera maximè salubre est: quod & oculatus testis Gal. confirmat lib. de Sang. miss. advers. Erasistratum cap. 6. Plutarchus ἅλμην i. e. *aquam marinam* ad eam purgationem adhibere scribit: idq; postea imitatos Ægyptios. Qui propterea SALUBRITATIS hieroglyphico Ciconiam rostro sibi partem illam sollicitantem pingebant. *lib. 8. cap. 27.* *de Animal. solertia.* *Pier. Valer. lib. 17. cap. 20.*

COLUMBÆ CELLARES.

Cellaris mihi sint convivia prima Columbæ,
Cùm fugit hæc nidos ausa volare suos.
Tunc calidi, humentisq; cibi, facilisq; culinæ:
Obtusi nimiùm prima cruoris erat.
Condiat hanc Labrusca tamen, dum Sirius ardet,
Et repleant calidos acria poma uteros.
Parce Venus: tanti non sunt tua numina nulli:
Docta nocere, sacras ut tueantur Aves.

rei Rust. lib. 8. cap. 8. Cellares Columbos Columella vocat, quos Galenus κατοικιδίους, & nos Domesticos dicimus.

obtusi cruoris] Succi excrementitii & putredini obnoxii. Quo nomine damnantur ab Avic. lib. 2. tr. 2. cap. 133.

sacras ut tueantur Aves] Qui Veneris sacris initiati erant, Columbis, tanquam ejus numini dicatis Avibus, abstinebant. Quod videtur innuere Martialis in Xeniis:

Ne violes teneras praeduro dente Columbas,
Tradita si Gnidiæ sint tibi sacra Deæ.

COLUMBA LIVIA. PALUMBES.

Aridior si te delectat forte Columba:
Livia, turritâ quæ tibi ab arce cadit:
Non sapiat Torquata minùs mihi cara Palumbes,
Si modò fert molles non diuturna dapes.
Ni stomacho ignito sint pulmentaria; nervis,
Poplitibus ægris, cùm voluere, favent.
Has tere secura, nec sis trepidantior, ore:
Offendisse suam jam didicere Deam.

Hist. Animal. lib. 5. cap. 13. Theodorus Gaza apud Arist. πελειάδας Columb[...] vertit, confictо nomine à colore livido, qui C[...]

dicitur, & à quo ipsæ πελειάδων nomen sortitæ videntur. Licèt verò Liviæ Columbæ sint omnino feræ & agrestes, quæ in montium rupibus nidificant; hìc Liviarum nomine *Turricolas* designare videtur, quæ mitiores sunt, ac mediæ quodammodo naturæ inter Livias & Domesticas. Palumbos verò Torquatos, sic dictos ab albarum plumarum cingulo circa collum, Hispani mutato nonnihil nomine *Palomas Toreaças* appellant, & quibusdam Italiæ regionibus *Colombi di Ghianda*: quòd quernis glandibus in primis delectantur.

non diuturna] non annosa.

Offendisse suam Deam] Columbæ omnes Veneri sacræ fuerunt. Hoc verò de Torquatis peculiariter dictum puto. Nil aliud enim iis *Offendisse suam Deam* significari arbitror, quàm Veneris stimulos infringere: id quod hujusmodi Avibus Auctores non contemnendi adscribunt. Martialis in Xeniis:

Inguina Torquati tardant hebetantq́; Palumbi
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Unde Albertus Magnus etymo satis ingenioso Columbos dici ait, quòd lumbos colant: Palumbos verò, quòd lumbis parcant. Quod quidem si verum est, Glandibus, quibus hujusmodi Aves delectari superiùs retulimus, adscribendum crediderim. Quæ cùm virtute refrigerante & impensè exsiccante præditæ sint, quo nomine nec ad seminis generationem, nec ad membri tentiginem quidquam faciant, quin potiùs dicti[illegible]ionibus non parum adversentur[illegible]robabi[illegible]andem facultatem Torquati[illegible]mpri[illegible] *lib. 3. de Animalib.*

PHASIANUS.

P*Hasida jam vehat Argos Avem. quassata retardat.*
Debuerat primo discubuisse thoro.
Illa levis stomacho suaves imitata tepores.
Non volet in mensas, Rustica turba, tuas.
Vix sicca est. Volucrum huic primi debentur honores.
Nec malè, cùm fuerit regius ante puer.

Phasida jam vehat] A Phaside Colchidis fluvio primùm in Græciam advectæ sunt hujusmodi Aves, & ab eo sortitæ nomen Phasiani. Ita enim Martialis: *in Xeniis.*

Argivâ primùm sum transportata carinâ.
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Aliment. l. 3. cap. 19. *Illa levi stomacho*] Phasianos Gal. & succi bonitate, & facilitate coctionis Gallinis comparat. Sed neq; in eo decipitur, dum saporis jucunditate præcellere scribit. *Non volet in mensas, Rustica turba tuas.*] Hoc quidem seriò cavendum est. Rusticos enim eorum esu asthmaticos fieri gravissimi Auctores prodiderunt.

TURTUR.

T*Vrtur honorabis Domini convivia nostri.*
Huic meliùs sapies posteriore cibo.
Siccescunt, sed calda magis tua fercula prosunt
Sic Domino, ut sapiens hinc magis esse queat.
O' bona Avis: casta es, sanctæq; dicanda Mineruæ.
Hos tamen in venerem luxuriemq; rapis.

posteriore cibo] Subadstringendi facultate quadam prædita est Turturis caro: quo nomine Dysentericis prodesse observatum est. Adstringentia autem quæ primâ men-

mensâ alvum sistunt, postremâ eandem laxant, & concoctionem adjuvant.

sapiens ut esse queat] Ex Arabum schola effluxit, & principem Averrhoëm habuit opinio hæc, Turturum carnem mirabili proprietate ingenium acuere. Unde quidam *cibum sapientum* eas vocaverunt. *Collect. lib. 5. cap. 32.*

in venerem rapis] E Columborum genere cùm Turtures sint, & simili ferè illis temperamento; simili quoq; erunt facultate, calefaciente scil. & venerem stimulante.

PERDIX.

Obfuit ingenium Perdici. effrena libido
Pernecet, aucupium ni modò fallat Avis.
Grata tepescenti, stomachum siccata, liquore,
Cor, tumidumq; potest prima fovere jecur.
Si timet excelsos, cùm sit levis, illa volatus;
Palladiâ casus servat ab arce suos.

effrena libido] Inter cæteras artes, quibus Aucupes Perdicibus insidiantur, non incelebris illa est, qua libidine eas illiciunt. Alunt enim fœminas cicures & canoras: (παλευτρίας *Allectrices* Græci vocant.) Ad quarum voces Mares libidinis œstro convolantes, incidunt in casses venatorum præda. Salacissimas autem esse Perdices quotquot de Animalium natura scripserunt Auctores testantur. Imò Athenæus Salacitatis symbolum fuisse eas memorat. Additq; Mares fœminis tantùm visis, aut earum voce auditâ, semen emittere. *Dipnosoph. lib. 3. cap. 10.*

aucupium ni modò fallat] Mirabilem astum, quo Perdices venatorum insidias eludunt, vide apud Arist. lib. 9. Hist. Anim. cap. 8. & Plin. lib. 10. cap. 33.

PAVO.

PAVO.

Cui bene servata nocuit custodia vaccæ:
Ignea cui flamma est; cui caro lenta putret.
Qui licèt oblectet, sitq; in regalibus ingens.
Delicium, pigræ nec levis ille dapis.
Si tamen ante alios Pavonem Hortensius edit:
Sic Avis emeruit dira salaxq; venus.

cui caro lenta putret.] Pavonis carnem integrum annum se incorruptam servâsse affirmat D. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 4. Aliiq; addunt quadraginta annos repositam non modò non putruisse, sed gratum odorem spirâsse, haud secus quàm si aromatibus condita fuisset. Causam tam longæ ἀφθαρσίας cum in occultam proprietatem, tum in frigidum siccumq; temperamentum, carnisq; soliditatem refert Cardanus: quorum causâ fit, ut exhaustâ exiguâ humiditate excrementitiâ, qui superest humor pinguis, optimèq; concoctus putredini facilè resistit. Cujus opinio ut in reliquis facilè admitti potest; ita in eo rejicienda, dum frigidum Pavonis temperamentum statuit; omnino repugnante salacissimâ Animalis naturâ.

de Rer. Var. lib. 7. cap. 36.

Pavonem Hortensius edit] Hortensius Orator omnium primus Romæ Pavonem mensis intulit aditiali cœnâ sacerdotii: cùm antea spectaculi tantùm gratiâ alerentur. Imò scribit Ælianus, Alexandrum Macedonem, cùm primùm has Aves in India vidisset, illarum pulchritudine motum gravissimas in eos pœnas sanxisse, qui illas occiderent. Martialis quidem exclamat:

Plin. lib. 10. cap. 20. *de Animal. lib. 5. cap. 21.* *in Xeniis.*

Miraris quoties gemmantes explicat Alas:
Et potes hunc sævo tradere dure coquo?

& Eo-

Et Eobanus Heſſus libro de Tuend. bona Valetud.

Intulit hunc primus cœnis Hortenſius audax:
Ut dubites linguâ doctior anne gulâ.

COTURNIX.

Sint autumnales croceo tibi pabula lumbo,
Sive Coturnices, ſive voces Qualeas.
Senſibus hæc mala ſunt, tenebriſq; replentia fuſcis:
Ventri inviſa, malis febribus exitium.
Si tamen ulla tuos circumvolitaverit orbes;
Cœna tibi non ſit, ſed leve prandiolum.

ſenſibus hæc mala] Comitiali morbo Coturnices tentari, quæ caveis ſaginantur quotidie docent. Ideo putant quidam earum cibo homines quoq; eidem affectui obnoxios fieri. Quamvis alii contrarium mordicus affirment. Gal. certè plurimos in Doride, Theſſaliâ, Bœotia, *comm. 5. in 6.* & Athenis, qui Coturnicibus largiùs ſe impleverant, *Epidem. text.* nervorum diſtenſionibus correptos eſſe ſcribit. Eamq; *85.* aſſignat cauſam: quòd Veratro hæ Aves familiariter veſcantur. Quo loco obſervandum, Avicennam pro Ve- *lib. 2. tr. 2.* ratro *Napellum* ſcripſiſſe. Quo unico, ut opinor, argu- *cap. 50.* mento Guillandinus apud Lobelum Veratrum nigrum Avicennæ Napellum eſſe exiſtimavit. *Obſervat. pag. 388.*

Cœna non tibi ſit] Celebris & ἐπίδικος adhuc inter Medicos Quæſtio eſt: liberaliùs ne prandendum ſit, an cœnandum. De qua inter cæteras lege Conciliatorem Diſſer. 121. Cardanum lib. 1. Contradict. 18. Fuchſium lib. 2. Paradox. cap. 21. Langium lib. 1. Epiſt. Medic. 55. Videtur Auctor in illorum iviſſe ſententiam, qui largiùs cœnandum cenſent. Quaſi velit dicere: ſi tibi Coturnices apponantur, memineris eas pravi eſſe ſucci; ideoq;

noli

noli eas ad satietatem ingerere, quasi cœnaturus: sed parcè & modicè, ut in prandio fieri solet.

MERULUS. TURDUS.

Si mihi pinguis erit Merulus, tua gloria cedat
Turde: salutiferos vult mea mensa cibos.
Igneus ardor inest major tibi. sistitis ambo,
Tu graviùs redoles, ni tibi bacca favet.
Si tamen aucupiis, laqueo, vel rete latenti
Falleris, inde mihi non minùs ipse places.

Jure merito Merulas Turdis sociavit Auctor, quia mutuus, teste Plinio, est inter has Aves amoris & benevolentiæ affectus. Quamvis non ignorem, nonnullos ex Arist. pro Turdis Turtures ibi substituere. Cur autem Merulam Turdo prætuleris: cui tamen Martialis, potiorq; gulæ procerum & Medicorum pars inter Aves primas defert, hæc fortassis erit causa: quòd Turdi, ut quidam opinantur, Napello lethalissimâ herbâ vescantur. Quod & Auctorem credidisse illa verba videntur demonstrare: *salutiferos vult mea mensa cibos*. quasi Turdos eo nomine minus salubres existimaverit.

Hist. Nat. lib. 10. cap. 74

Hist. Anim. lib. 9. cap. 1.

si tamen aucupiis] Carnes Avium aucupio, retibusq; captarum ob insignem metum, mœrorem, & fatigationem flaccidiores, teneriores, ac suaviores redduntur. id quod telo petitis ob momentaneam mortem non accidit.

ALAUDA.

Ignea si Galeata mihi est præpinguis Alaudæ,
Sit brevior, ne sit cœna molesta mihi.
Durior alvus erit, sed jus dabit ilia solvens.
Sic malè quod nocuit, sponte juvare solet.

Si Ga-

Si Galeata] Alauda duplex est: Cristata: & Apice carens. Illam Latini Cassitam & Galeritam: hanc simpliciter Alaudam vocant: Græci verò utramq; communi nomine κορυδαλὸν, & κορυδαλλίδα. quamvis Arist. Cristatam periphrasticè λόφον ἔχουσαν nominet. Et hujus potissimùm in medicina usus est. *Hist. Anim. lib. 9. cap. 25.*

jus dabit ilia solvens.] Ad colicos dolores eam summopere commendavit Gal. sed cum proprio jure sumptam: eo *lib. 11. Simpl.* sine procul dubio, ut illius ope alvus solvatur. Verùm cùm videam lib. de Ther. ad Pisonem cap. 9. eam coctam quoq; ad eundem affectum extollere; persuadere mihi non possum ejus carnem alvum adstringere: cùm Colicus Dolor non adstrictione, sed ventris dejectione sanetur. Q. Serenus etiam ad Coli dolorem Avem ipsam simpliciter proponit.

Cùm Colum invisum morbi genus intima carpit,
Mande Galeritam volucrem quam nomine dicunt.

FICEDULA.

SI sapit, & calida arescit Ficedula, quæris
Cur piper? ut meliùs, si bibis, inde coquas?

Problemati huic ansam præbuisse videtur Martialis in Xeniis, Lemmate PIPER, dum ait:

Cerea quæ patulo lucet Ficedula lumbo
Cùm tibi fortè datur, si sapis, adde piper.

Addendum igitur censet piper in solius potûs gratiam. Ficedula enim licèt optimi succi ac suavissimi saporis Avicula sit, destituitur tamen nescio qua, ut ita dixerim, gratiâ & lenocinio, quo palatum proritare possit ad potum. Hoc autem additum piper illi conciliat. Unde stimulata stomachi facultas excitatur ad potum: quo crassus

Quod tradunt nonnulli è Volucribus solas Coturnices Epilepsiâ infestari, falsum esse non ita pridem deprehendi. Habui enim Gallum, qui frequentissimè eo morbo corripiebatur. Is cùm in corte sanus vagaretur, imò Gallinam sub vesperam compressisset, paulo post Epilepticus factus mortuus est. Epilepsiâ, ut opinor, in Apoplexiam mutatâ: ut hominibus etiam accidere quandoq; obseruatum est. Rabiei quoq; obnoxios esse Gallinaceos, ex Cælio Aureliano colligere licet. *Acut. Pass. lib. 3. cap. 9.*

ANSER. ANAS.

ANser, Anasq; tibi sit pleno domestica succo;
Si validi es stomachi: Rustica dura nimis.
Anseribus magis ardet Anas: præstantior Alis
Est cibus: hæ prosunt vocibus & veneri.
Quisquis honoratum jecur ausus mandere primùm,
Hic Messalino doctior arte gulæ.

Anseribus magis ardet Anas] Imò domesticis omnibus Avibus Avicennæ credimus. *l. 2. tr. 2. c. 42.*

præstantior Alis] De his superius lemmate PEDES. ALÆ.

prosunt vocib.] An quia, ut scribit Porta, animalia obstrepera, inter quæ Anseres enumerat, homines loquaces reddunt? an verò hoc peculiariter de Alis intelligendum: quæ, ut substantiæ levioris & magis aëreæ, spiritales partes similitudine quadam fovere possunt? Venerem autem non solùm Alæ, sed & Anserum Lingua mirificè excitare creditur. *Phytogn. l. 1. cap. 16.*

honoratum jecur] Anserinum jecur inter lautissimas dapes olim habitum, & etiamnum habetur. Crescit in amplam molem, præsertim si Anseres fartilibus saginentur, ut ipso

Ansere,

Anfere, inquit Martialis, majus videatur. Incertum, ait Plinius, Scipio Metellus Vir Confularis, an M. Sefejus Eq. Romanus tantum bonum invenerit. *lib. 10. cap. 22*

Is Meſſalino] Meſſalinus Cotta, Meſſalæ Oratoris filius, gulæ ſtudioſus, ſi quis alius unquam, fuit: qui Plinio teſte palmas pedum Anſerum torrere, atq; in patinis cum gallinaceorum criſtis condire primus reperit. *loc. cit.*

IBIS. CICONIA. GRUS.

IBis in antiquos redeatq; Ciconia luxus,
Eſcaq; Pygmæis Grus nocitura ſuis.
Anguibus Ætneo ſit pernicioſa vorago
Ventre: graves odi, qua nocuere, dapes.
Sat Medico latum eſt meriti: ſi mantica mollis
Inteſtina lavat; munus ab Ibide habet.

Anguibus ſit pernicioſa] Scribit Plinius in Theſſalia capitale fuiſſe Ciconiam occidere: eandemq; legibus pœnam, quæ in homicidam. Tanta enim ea in regione naſcitur Serpentum copia; ut niſi à Ciconiis continuò conſicerentur, incolas ſolum vertere neceſſe eſſet. Ibides quoq; Serpentibus innoxiè veſci tradit Solinus cap. 34. *lib. 10. cap. 23* *Ariſt. de Ad. mirandis.*

mantica mollis] i. e. Clyſter: cujus inventionem Ibidi debemus: quæ roſtri aduncitate, inquit Plinius, per eam partem ſe proluit, qua reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt: quod & oculatus teſtis Gal. confirmat lib. de Sang. miſſ. adverſ. Eraſiſtratum cap. 6. Plutarchus ἅλμην i. e. *aquam marinam* ad eam purgationem adhibere ſcribit: idq; poſtea imitatos Ægyptios. Qui propterea SALUBRITATIS hieroglyphico Ciconiam roſtro ſibi partem illam ſollicitantem pingebant. *lib. 8. cap. 27.* *de Animal. ſolertia.* *Pier. Valer. lib. 17. cap. 20.*

COLUMBÆ CELLARES.

Cellaris mihi sint convivia prima Columbæ,
Cùm fugit hæc nidos ausa volare suos.
Tunc calidi, humentisq́ cibi, facilisq́ culinæ:
Obtusi nimiùm prima cruoris erat.
Condiat hanc Labrusca tamen, dum Sirius ardet,
Et repleant calidos acria poma uteros.
Parce Venus: tanti non sunt tua numina nulli:
Docta nocere, sacras ut tueantur Aves.

Rei Rust. lib. 8. cap. 8. Cellares Columbos Columella vocat, quos Galenus κατοικιδίους, & nos Domesticos dicimus.

obtusi cruoris] Succi excrementitii & putredini obnoxii. Quo nomine damnantur ab Avic. lib. 2. tr. 2. cap. 133.

sacras ut tueantur Aves] Qui Veneris sacris initiati erant, Columbis, tanquam ejus numini dicatis Avibus, abstinebant. Quod videtur innuere Martialis in Xeniis:

Ne violes teneras praeduro dente Columbas,
Tradita si Gnidiæ sint tibi sacra Deæ.

COLUMBA LIVIA. PALUMBES.

Aridior si te delectat forte Columba:
Livia, turritâ quæ tibi ab arce cadit.
Non sapiat Torquata minùs mihi cara Palumbes,
Si modò fert molles non diuturna dapes.
Ni stomacho ignito sint pulmentaria; nervis,
Poplitibus ægris, cùm voluere, favent.
Has tere securo, nec sis trepidantior ore:
Offendisse suam jam didicere Deam.

Hist. Animal. lib. 5. cap. 13. Theodorus Gaza apud Arist. πελειάδας Columbas Livias vertit, conficto nomine à colore livido, qui Græcis πελιὸς

dici-

dicitur, & à quo ipsæ πελειάδων nomen sortitæ videntur. Licèt verò Liviæ Columbę sint omnino feræ & agrestes, quæ in montium rupibus nidificant; hìc Liviarum nomine *Turricolas* designare videtur, quæ mitiores sunt, ac mediæ quodammodo naturæ inter Livias & Domesticas. Palumbos verò Torquatos, sic dictos ab albarum plumarum cingulo circa collum, Hispani mutato nonnihil nomine *Palomas Toreaças* appellant, & quibusdam Italiæ regionibus *Colombi di Ghianda* : quòd quernis glandibus in primis delectantur.

non diuturna] non annosa.

Offendisse suam Deam] Columbæ omnes Veneri sacræ fuerunt. Hoc verò de Torquatis peculiariter dictum puto. Nil aliud enim iis *Offendisse suam Deam* significari arbitror, quàm Veneris stimulos infringere : id quod hujusmodi Avibus Auctores non contemnendi adscribunt. Martialis in Xeniis:

Inguina Torquati tardant hebetantq; Palumbi
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Unde Albertus Magnus etymo satis ingenioso Columbos dici ait, quòd lumbos colant: Palumbos verò, quòd lumbis parcant. Quod quidem si verum est, Glandibus, quibus hujusmodi Aves delectari superiùs retulimus, adscribendum crediderim. Quæ cùm virtute refrigerante & impensè exsiccante præditæ sint, quo nomine nec ad seminis generationem, nec ad membri tentiginem quidquam faciant, quin potiùs dictis operationibus non parum adversentur; improbabile non est, eandem facultatem Torquatis quoq; imprimere posse. *lib. 3. de Animalib.*

PHASIANUS.

PHasida jam vehat Argos Avem. quassata retardat.
Debuerat primo discubuisse thoro.
Illa levis stomacho suaves imitata tepores.
Non volet in mensas, Rustica turba, tuas.
Vix sicca est. Volucrum huic primi debentur honores.
Nec malè, cùm fuerit regius ante puer.

Phasida jam vehat] A Phaside Colchidis fluvio primùm in Græciam advectæ sunt hujusmodi Aves, & ab eo sortitæ nomen Phasiani. Ita enim Martialis: *in Xeniis.*

Argivâ primùm sum transportata carinâ.
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Aliment. l. 3. cap. 19. *Illa levi stomacho*] Phasianos Gal. & succi bonitate, & facilitate coctionis Gallinis comparat. Sed neq; in eo decipitur, dum saporis jucunditate præcellere scribit. *Non volet in mensas, Rustica turba tuas.*] Hoc quidem seriò cavendum est. Rusticos enim eorum esu asthmaticos fieri gravissimi Auctores prodiderunt.

TURTUR.

TVrtur honorabis Domini convivia nostri.
Huic meliùs sapies posteriore cibo.
Siccescunt, sed calda magis tua fercula prosunt
Sic Domino, ut sapiens hinc magis esse queat.
O' bona Avis: casta es, sanctæq; dicanda Minervæ.
Hos tamen in venerem luxuriemq; rapis.

posteriore cibo] Subadstringendi facultate quadam prædita est Turturis caro: quo nomine Dysentericis prodesse observatum est. Adstringentia autem quæ primâ men-

mensâ alvum sistunt, postremâ eandem laxant, & concoctionem adjuvant.

sapiens ut esse queat] Ex Arabum schola effluxit, & principem Averrhoëm habuit opinio hæc, Turturum carnem mirabili proprietate ingenium acuere. Unde quidam *cibum sapientum* eas vocaverunt. *Collect. lib. 5. cap. 32.*

in venerem rapis] E Columborum genere cùm Turtures sint, & simili ferè illis temperamento; simili quoq; erunt facultate, calefaciente scil. & venerem stimulante.

PERDIX.

Obfuit ingenium Perdici. effrena libido
Pernecet, aucupium ni modò fallat Avis.
Grata tepescenti, stomachum siccata, liquore,
Cor, tumidumq; potest prima fovere jecur.
Si timet excelsos, cum sit levis, illa volatus;
Palladiâ casus servat ab arce suos.

effrena libido] Inter cæteras artes, quibus Aucupes Perdicibus insidiantur, non incelebris illa est, qua libidine eas illiciunt. Alunt enim fœminas cicures & canoras: (παλευτρίας *Allectrices* Græci vocant.) Ad quarum voces Mares libidinis œstro convolantes, incidunt in casses venatorum præda. Salacissimas autem esse Perdices quotquot de Animalium natura scripserunt Auctores testantur. Imò Athenæus Salacitatis symbolum fuisse eas memorat. Additq; Mares fœminis tantùm visis, aut earum voce auditâ, semen emittere. *Dipnosoph. lib. 3. cap. 10.*

aucupium ni modò fallat] Mirabilem astum, quo Perdices venatorum insidias eludunt, vide apud Arist. lib. 9. Hist. Anim. cap. 8. & Plin. lib. 10. cap. 33.

PAVO.

CVi bene servata nocuit custodia vacca:
Ignea cui flamma est: cui caro lenta putret.
Qui licèt oblectet, sitq; in regalibus ingens.
Delicium, pigræ nec levis ille dapis.
Si tamen ante alios Pavonem Hortensius edit:
Sic Avis emeruit dira salaxq; venus.

cui caro lenta putret.] Pavonis carnem integrum annum se incorruptam servâsse affirmat D. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 4. Aliiq; addunt quadraginta annos repositam non modò non putruisse, sed gratum odorem spirâsse, haud secus quàm si aromatibus condita fuisset. Causam tam longæ ἀφθαρσίας cum in occultam proprietatem, tum in frigidum siccumq; temperamentum, carnisq; soliditatem refert Cardanus: quorum causâ fit, ut exhaustâ exiguâ humiditate excrementitiâ, qui superest humor pinguis, optimèq; concoctus putredini facilè resistit. Cujus opinio ut in reliquis facilè admitti potest; ita in eo rejicienda, dum frigidum Pavonis temperamentum statuit; omnino repugnante salacissimâ Animalis naturâ.

de Rer. Var. lib. 7. cap. 36.

Pavonem Hortensius edit] Hortensius Orator omnium primus Romæ Pavonem mensis intulit aditiali cœnâ sacerdotii: cùm antea spectaculi tantùm gratiâ alerentur. Imò scribit Ælianus, Alexandrum Macedonem, cùm primùm has Aves in India vidisset, illarum pulchritudine motum gravissimas in eos pœnas sanxisse, qui illas occiderent. Martialis quidem exclamat:

Plin. lib. 10. cap. 20.

de Animal. lib. 5. cap. 21.

in Xeniis.

Miraris quoties gemmantes explicat Alas:
Et potes hunc sævo tradere dure coquo?

& Eo-

Et Eobanus Hessus libro de Tuend. bona Valetud.

Intulit hunc primus cœnis Hortensius audax:
Ut dubites linguâ doctior anne gulâ.

COTURNIX.

Sint autumnales croceo tibi pabula lumbo,
Sive Coturnices, sive voces Qualeas.
Sensibus hæc mala sunt, tenebrisq; replentia fuscis:
Ventri invisa, malis febribus exitium.
Si tamen ulla tuos circumvolitaverit orbes;
Cœna tibi non sit, sed leve prandiolum.

sensibus hæc mala] Comitiali morbo Coturnices tentari, quæ caveis saginantur quotidie docent. Ideo putant quidam earum cibo homines quoq; eidem affectui obnoxios fieri. Quamvis alii contrarium mordicus affirment. Gal. certè plurimos in Doride, Thessalia, Bœotia, & Athenis, qui Coturnicibus largiùs se impleverant, nervorum distensionibus correptos esse scribit. Eamq; assignat causam: quòd Veratro hæ Aves familiariter vescantur. Quo loco observandum, Avicennam pro Veratro *Napellum* scripsisse. Quo unico, ut opinor, argumento Guillandinus apud Lobelum Veratrum nigrum Avicennæ Napellum esse existimavit.

comm. 5. in 6. Epidem. text. 85.

lib. 2. tr. 2. cap. 50.

Observat. pag. 388.

Cœna non tibi sit] Celebris & ἐπίδικος adhuc inter Medicos Quæstio est: liberalius ne prandendum sit, an cœnandum. De qua inter cæteras lege Conciliatorem Differ. 121. Cardanum lib. 1. Contradict. 18. Fuchsium lib. 2. Paradox. cap. 21. Langium lib. 1. Epist. Medic. 55. Videtur Auctor in illorum ivisse sententiam, qui largiùs cœnandum censent. Quasi velit dicere: si tibi Coturnices apponantur, memineris eas pravi esse succi; ideoq;

noli eas ad satietatem ingerere, quasi cœnaturus : sed parcè & modicè, ut in prandio fieri solet.

MERULUS. TURDUS.

Si mihi pinguis erit Merulus, tua gloria cedat
Turde: salutiferos vult mea mensa cibos.
Igneus ardor inest major tibi. sistitis ambo.
Tu gravius redoles, ni tibi bacca favet.
Si tamen aucupiis, laqueo, vel rete latenti
Falleris, inde mihi non minus ipse places.

Jure merito Merulas Turdis sociavit Auctor, quia mutuus, teste Plinio, est inter has Aves amoris & benevolentiæ affectus. Quamvis non ignorem, nonnullos ex Arist. pro Turdis Turtures ibi substituere. Cur autem Merulam Turdo prætuleris: cui tamen Martialis, potiorq; gulæ procerum & Medicorum pars inter Aves primas defert, hæc fortassis erit causa: quòd Turdi, ut quidam opinantur, Napello lethalissimâ herbâ vescantur. Quod & Auctorem credidisse illa verba videntur demonstrare: *salutiferos vult mea mensa cibos.* quasi Turdos eo nomine minus salubres existimaverit.

Hist. Nat. lib. 10. cap. 74

Hist. Anim. lib. 9. cap. 1.

si tamen aucupiis] Carnes Avium aucupio, retibusq; captarum ob insignem metum, mœrorem, & fatigationem flaccidiores, teneriores, ac suaviores redduntur. id quod telo petitis ob momentaneam mortem non accidit.

ALAUDA.

IGnea si Galeata mihi est præpinguis Alauda,
Sit brevior, ne sit cœna molesta mihi.
Durior alvus erit, sed jus dabit ilia solvens.
Sic malè quod nocuit, sponte juvare solet.

Si Ga-

Si Galeata] Alauda duplex eſt: Criſtata: & Apice carens. Illam Latini Caſſitam & Galeritam: hanc ſimpliciter Alaudam vocant: Græci verò utramq; communi nomine κορυδαλὸν, & κορυδαλλίδα. quamvis Ariſt. Criſtatam periphraſticè λόφον ἔχουσαν nominet. Et hujus potiſſimùm in medicina uſus eſt. *Hiſt. Anim. lib. 9. cap. 25.*

jus dabit ilia ſolvens.] Ad colicos dolores eam ſummopere commendavit Gal. ſed cum proprio jure ſumptam: eo fine procul dubio, ut illius ope alvus ſolvatur. Verùm cùm videam lib. de Ther. ad Piſonem cap. 9. eam coctam quoq; ad eundem affectum extollere; perſuadere mihi non poſſum ejus carnem alvum adſtringere: cùm Colicus Dolor non adſtrictione, ſed ventris dejectione ſanetur. Q. Serenus etiam ad Coli dolorem Avem ipſam ſimpliciter proponit. *lib. 11. Simpl.*

Cùm Colum inviſum morbi genus intima carpit,
Mande Galeritam volucrem quam nomine dicunt.

FICEDULA.

SI ſapit, & calida areſcit Ficedula, quæris
Cur piper? ut meliùs, ſi bibis, inde coquas?

Problemati huic anſam præbuiſſe videtur Martialis in Xeniis, Lemmate PIPER, dum ait:

Cerea quæ patulo lucet Ficedula lumbo
Cùm tibi fortè datur, ſi ſapis, adde piper.

Addendum igitur cenſet piper in ſolius potûs gratiam. Ficedula enim licèt optimi ſucci ac ſuaviſſimi ſaporis Avicula ſit, deſtituitur tamen neſcio qua, ut ita dixerim, gratiâ & lenocinio, quo palatum proritare poſſit ad potum. Hoc autem additum piper illi conciliat. Unde ſtimulata ſtomachi facultas excitatur ad potum: quo craſ-

ſus in ventriculo cibus diluitur & veluti maceratur. Liquidiora autem craſſioribus meliùs concoqui, nemo inficiabitur.

PASSER.

Ardet & eſt Paſſer molli duriſsimus alvo.
Si vis eſſe ſalax hic cerebella dabit.
Cur neget? huic ſubitam ſunt adducentia mortem,
I Venus hinc, ſolas ni modò perdis Aves.

Ardet] Damnant pleriq; Medicorum Paſſeres in cibis, cum propter carnis duritiem, tum propter impenſam ejuſdem caliditatem. Verùm ſi rem diligenter ad calculum revocemus, non video tantam hiſce Avibus ineſſe caliditatem, ut penitus à ſalubrium ciborum cenſu expungendi videantur. Gal. enim. lib. de Ren. Aff. cap. 6. & lib. 6. de San. tuen. cap. 11. στρουθοὺς πυργίτας *Paſſeres Turricolas* iis alimentis annumerat, quæ mediam inter extenuantem & craſſefacientem naturam habent, & quæ Calculorum morbis apprimè conveniunt. At Calculoſis non convenire, quæ inſigniter calefaciunt, is novit, qui

lib. 3. cap. 45. ex Ægineta didicit efficientem Calculorum cauſam eſſe πυρώδη διάθεσιν τῶν νεφρῶν, καὶ τῆς κύστεως, *igneam renum & veſicæ caliditatem.* πυργίτας verò eſſe, quos nunc communiter & generis nomine *Paſſeres* vocamus, inter alia comprobare videtur Recentiorum Græcorum appellatio: qui unius tantùm literulæ additamento σπυργίτας in hanc uſq; diem eos nominant.

Si vis eſſe ſalax] Plurimùm quidem ad ſalacitatem ex quorundam ſententia faciunt Cerebella, ſed non minùs

Dipnoſoph. lib. 9. cap. 10. reliqua Paſſerum caro. Terpſicles enim apud Æthenæum, τοὺς ἐμφαγόντας στρουθῶν ἐπικαταφόρους εἰς ἀφροδίσια γίνεσθαι, *Paſſeribus veſcentes in venerem proclives fieri* ſcribit. Ob

quam

quam salacitatis notam στρεθὸς apud Hesychium pro *libidinoso* accipitur. & eâdem metaphorâ Membrum, quo viri sumus, Mimographis, teste Pomp. Festo, *Strutheum*, ut & Catullo *Passer* dicitur. *de Verb. significat.*

subitam adducentia mortem] Brevissimæ vitæ sunt Passeres: qui nempe negantur anno diutius vivere. Immodicâ enim venere citissimè exhauriuntur. *Plin. lib. 10. cap. 36.*

HIRUNDO.

DEfleat infandos ingrati Conjugis ausus,
Igniti & nocui cùm sit Hirundo cibi.
Cur noceas? dulci modulamine se dat habendam:
Threicios fugiens intrat amica lares.

Multos hodie reperire est, qui Hirundines non comedunt: quòd vulgo persuasum habeant, frequentiores in cibis Anginam inferre: quam alioquin in cinerem ustas & cum melle illitas discutere testatur Gal. lib. 11. Simpl.

STURNUS.

STurne peregrinas mendices aridus uvas.
Socratici mensa nolumus esse tua.

Sturnos inter ignobiles Aves etiam ab Antiquis habitos, ac tenuioris fortunæ hominum cibum fuisse, vel ex vno Martiali colligi potest: qui illos *inopes*, i. e. ad pauperum mensas ablegandos, appositè vocavit. *lib. 9. Epig 55.* Nunc quoq; nonnullis Italiæ locis *Sturni Carnem* pro dura & macerrima proverbiali metaphorâ usurpant. Quo respiciens Platina, *Sturnos diabolicam carnem habere* scripsit i. e. duram & insalubrem, iisq; relinquendam, *qui*, ut ille ait, *marsupio magis, quàm vitæ consultum volunt*. Quod si de adul- *Lib. 5. de Hon. Volupt. cap. 8.*

tioribus & Cicutâ paſtis dictum intelligamus; audiendus eſt Popinæ magiſter: ſi verò de juvenculis, præſertim qui in montanis degunt & baccis veſcuntur; non hoc illi facilè conceſſerim. Conſtat enim eorum carnem ſuavem & tenellam eſſe, & quæ Turdis de ſaporis ac bonitatis gratia non multum concedat. Ut propterea Gal. Aviculis boni ſucci Sturnos etiam annumerare non dubitaverit. Delectantur autem non ſolùm uvis, quibus mirificè pingueſcunt, ſed omnis generis baccis, & præcipuè Olivis, quarum peſtis exitialiſſima ſunt. Si enim in Olea conſederint, nictu oculi olivis totam ferè ſpoliant. Ubi namq; ad ſatietatem illas ingeſſerunt, avolantes ſinguli tres, duas pedibus, tertiam ore aſportant. Propterea Ruſtici ſtudioſè eos ſpectris & ſimulacris terrere ſolent. Volant autem gregatim & tam conferto ac numeroſo agmine; ut interdum nubis inſtar ſoli tenebras offundant. Quod illis à natura inditum volunt, ut adverſus rapaces aves ſibi mutuò ferant ſuppetias. Cujus rei mirabile exemplum elapſis annis vidi. Circumventum enim Accipitrem tantâ vi ac impetu invaſerunt, ut temporis momento deplumatus proprioq; cruore conſperſus in terram deciderit.

de San. tuend. lib. 6. cap. 11.

AVICULÆ.

Nunc video innumeras & circum rete volutas,
Crediderim exuſtas eſſe Volucriculas.
Has coquus arte parat celebri condire. vocatus
Sum coque: jam venio: tardior olla tua eſt.

Ne Caput hoc ſicco pede præteriremus, annotare placuit, Aviculas, quæ Cypriarum nomine lautiores menſas nobilitant, eaſdem eſſe, quas Itali *Rondoni*, Græci, quòd

quòd pedum usu careant, ἄποδας vocant: ut Nob. Vir Petrus Phlatrus, Cyprius, dum eas in convivio nobis exhibuisset, affirmavit.

TESTUDO.

Indica quæ duro cornu Testudo rigescit,
Si coquitur, posito tegmine, mollis erit.
Mansaphthisin putrem solvit, tumidumq́; lienem,
Fitq́; venenatis vermibus antidotum.
Sensibus exhibita est pulmentum nobile: morbum
Tollit & Herculeum: qui dolet ova bibat.
Calda parum humescit: fluvios montesq́; peragrat.
An Caro, vel Piscis sit, petis? est media.

Indica] Poëtico quodam schemate & lusu vulgarem seu Terrestrem Testudinem Indicam vocavit: ne forte Auctorem respexisse putes ad portentosæ magnitudinis illas, quarum superficie cymbas in India fieri & habitabiles casas tegi, Plinius aliiq; Auctores prodiderunt. Tres autem sunt Testudium præcipuæ species, Marina, Palustris seu Lutaria, & Terrestris. Marina cæteris medicamentosior est: Terrestris cibis magis inservit, & ad Tabidos, eosq; qui cibos non sentiunt ad miraculum usq; celebratur. *lib. 9. capp. 10. & 24.*

tumidumq́; lienem] Joh. Baptista Porta eo opere, quod Phytognomonica inscripsit, observat, Aquaticam Testudinem parvum à natura lienem obtinuisse: indeq; edoctos homines existimat, extuberantes lienes ejus usu imminui. Plinius id virium Terrestri adscribit. *lib. 2. cap. 47.* *lib. 32. cap. 4.*

venenatis vermibus] Alia editio habet *ictibus*: utroq; modo bene, pro vermibus serpentes accipiente Auctore: adversus quorum ictus Marinæ exsiccatum sanguinem extollit Nicander. *in Theriacis.*

mor-

morbum Herculeum] i.e. Comitialem, quo Herculem laborâsse memorant: quo affectis Marinarum sanguinem utiliter exhiberi, scribit Plin. quibus etiam excitandis earundem fel naribus illinit.
qui dolet] i.e. stomachum: in cujus doloribus ova sorberi idem Plinius tradit loc. cit.
est media] ἀμφίβιος: cui geminus est victus: in terra scil. & aquis.

P I S C I S.

Fert aquеum & fluidum Piscis tibi quisq; cruorem.
Si sit gratus, aquis fluctuet æquoreis,
Littora, saxosas vel si natet impiger undas:
Hunc, modò viscosa est ni pituita, cape.
Stans nocet: assatus pascit benè, tardior exit:
Sin minùs elixo pasceris, inde cacas.
Frigidulos angit nervos: languentibus agris,
Et stomacho humenti, verticibusq; gravis.
Gaudet ventre, gula & cervice. putrescere norunt
Hæc citò: languenti est unica cauda cibus.
Excipit hunc fervens dum retibus olla, vorato
Protinus: hinc nosces, quòd Venus orta mari.
Mensa Lupum, Rhombumq; voles? timidusq; rogatur
Mugil? adhuc mediis nat mea cymba vadis.

Fert aqueum] Non injiciat alicui scrupulum Hipp. seu quisquis fuerit Auctor libi 2. de Diæta, Percam aliosq; Pisces inter siccissimos enumerans. Quandoquidem aliorum comparatione id intelligendum. Simpliciter enim Piscis omnis naturâ frigidus & humidus est.
Aliment. l.3. cap. 25. *fluctuet æquoreis*] Pisces illos maximè commendat Gal. qui degunt in profundo mari, & ventorum procellis agitato

tato: nec aquæ dulci se immiscent. Compertum est enim Pelagios quosdam delectari aquâ dulci, & subire amnes: imò à mari longissimè interdum abire. Et ego non semel comedi Passeres captos in rivulo quodam ad radices Euganeorum: qui à mari triginta milliaribus Italicis minimùm distat.

saxosas] Jure explodendus Celsus: qui Saxatiles Pisces improbi succi esse scribit. Galenus enim cum universa Medicorum schola non solùm reliquos omnes succi bonitate ac facilitate coctionis antecellere; sed nulli alimentorum posthabendos affirmat. Adeo ut febrientibus eos dare non vereatur. Cur autem concoctu faciliores sint, causam reddit Alexand. Aphrodis. l. 2. Probl. 83. *lib. 2. cap. 21.*

viscosa est ni pituita] Ne contingat in Piscium delectu error, monet Gal. non omnibus Saxatilibus eandem esse succi bonitatem. Nam qui prope lacus aut magnorum fluminum ostia stabulantur, humidam magis ac glutinosam carnem habent. *Methodi lib. 8 cap. 2.*

Stans nocet] Stantes Pisces vocat, vel qui inertis & obscuri sunt motûs, vel qui in desidibus aquis aut paludibus, quas *Stantes* vocat Horatius, vivunt. Qui porrò quàm insalubres sint, docet idem Gal. loc. cit. *lib. 3. Carm. Ode 27.*

unica cauda] Adeo vegetus est à natura Piscibus Caudæ motus; ut etiam per quietem eam leviter moveant. Ob assiduum igitur exercitium Caudam eiq; adjacentes optimè nutrire asserit Gal. libro de Ther. ad Pison. cap. 9. Qui verò gulæ magis quàm sanitati student, Ventrem præferunt, proverbio jactantes: *Pisces & Mulieres in medio esse meliores.* *Arist. lib. 4. Hist. Anim. cap. 10.*

excipit dum retibus olla vorato] Hac nempe ratione Piscis innatæ flatulentiæ nihil deperdit: ideoq; validiùs venerem stimulat.

PISCIS

PISCIS SALSVS.

IGnea vis ſalſo eſt. qui non bene concoquit illum
Non edat, & Bacchus niq; ſit apta Ceres.

Eadem proportione quadam ratio eſt Piſcis Saliti, quæ Carnis: de qua ſuperiùs dictum eſt.

OSTREA. CONCHÆ.

HUmeſcunt omnes Conchæ: minùs Oſtrea frigent.
His inflare? ſalax eſt tibi cauſa Venus.

Dipnoſ. lib. 2. cap. 21. Gal. lib. 3. Alim. cap. 33. *minùs Oſtrea frigent.*] Oſtrea, quæ Matron apud Athenæum *Maris Tubera* metaphorâ venuſtiſſimâ vocat, omnium ὀστρακοδέρμων molliſſimam carnem habent: quæ ut salſiuſculum in ſe ſuccum continent; ita reliquis Teſtaceis ſunt calidiora.

lib. 2. cap. 26. *His inflare?*] Hìc quoq; notare oportet Celſi lapſum: qui minimam inflationem ex Conchyliis fieri ſcribit. cùm unanimi Medicorum conſenſu conſtet, inter Piſcium genera Teſtacea maximè flatum gignere: ideoq; tentiginem potenter excitare.

CANCER. GAMMARUS.

OCtipes exoritur gemino ſed onuſtus Aſello
Cancer, Hydram mulcens ſuppoſitamq; fovet.
Hic mihi in autumno pingueſcens, vere vel imo,
Luna magis pleno ſi rubet orbe ſapit.
Gammare flumineâ poteris ſi vincere caudâ:
Gratior æquoreis ſit mihi Cancer aquis.
Tabida pulmonis ſi putrida membra peragrat
Cum ſtomacho extergit, ſed premit ille meum.

Siccior

Siccior hinc venter durabitur, at dabit amplas,
Cùm rubet accensus, renibus ille vias.
Hic tantùm Herculeo ne sit timet esca Leoni,
Nascitur extremo commoriturq́ pede.

Octipes exoritur gemino sed onustus asello] Istorum Siderum seu Imaginum Cœlestium situm & positionem, à qua Auctor suum incipit & claudit Epigramma, vide apud Astrologos: quia hæc explicare alienum ab instituto nostro est.

Luna si pleno] Pinguescunt Cancri & Crustacei omnes pisces plenilunio, non quia per id tempus uberiori pabulo utantur, ut quidam crediderunt, sed quia tunc noctes tepidiores habent propter Sideris lucem. Laborant enim testacea omnia, ut ait Arist. per frigus & æstum: *de Part. Animal. lib. 4. cap. 5.* ideoq; temporis exuberantiam pati nequeunt, sed temperiem desiderant. Quæ causa est cur autumno & vere pinguiores quoq; evadant, ut Plinius etiam observavit lib. 9. cap. 25.

LIMAX. COCHLEA.

Frigida mucosum lentorem ponere Limax
Munda valet. pluri ni gula parcit aqua.
Hac etiam jecori, sed non quia frigida, prodest:
Illud ab innata dote superba potest.
Huic grata est natura nimis. Si lumina desunt;
Tentat iter gemino Cochlea corniculo.

lentorem ponere Limax] Cochlea seu Limax viscidum & mucosum succum, quo scatet, longâ iteratâq; coctione deponit. Unde Medici earum jus Tabidis ad radicalis humidi reparationem utiliter exhibent. Ganeæ verò studiosi, ne nimiâ elixatione saporis gratiam deperdant, so-

lent eas prunis leviter tostas comedere: & interdum adeo duras; ut vix dentibus atteri possint. Tanta quippe fuit omni ævo quibusdam hujus cibi aviditas, ut Romani luxu planè portentoso eas sapâ & farre saginaverint. Sed ne deessent seculo nostro Gurgites & Hirpini, vivit etiamunm Venetiis, qui Oryzâ eas pascere solet.

Varro lib. 3. Rei Rust. cap. 14.

sed non quia frigida] Quasi dicat: non manifestis qualitatibus, sed totius substantiæ proprietate cuicunq; jecoris intemperiei opem fert: quod & Gal. lib. 8. de comp. Med. per loc. cap. 8. testatur.

si lumina desunt] Cochleæ Oculis carere creduntur: & eorum vice dedisse eis naturam cornicula ad prætentandum iter. Auctor tamen Libri de Anatomia Vivorum, Galeno adscripti, oculos habere censet in summitate cornuum, quæ ille nervos vocat. Et profectò si periculum feceris, admoto prope digito, manifestum visûs sensum deprehendes. Cornicula enim retrahere observabis, etiamsi illa non attigeris.

Plin. lib. 11. cap. 37.

cap. de Anat. Ocular.

R A N A.

Ultima, sed nostros non accessura lebetes,
Ni saliat, putris Rana parabat iter.
Noluimus. succi est pluvii & limosa maligni.
Irata est & adhuc rauca coaxat aquis.

Ranas apud Veteres inter alimenta locum obtinuisse, neq; à Galeno, neq; ab alio memoriæ proditum invenio. Quæ causa forsan fuit, quòd quidam earum cibum reformidaverint, & ipsas quoq; Palustres venenatas crediderint: quarum tamen decoctionem serpentum omnium alexipharmacum esse Diosc. & Nicander in Theriacis tradiderunt.

lib. 2. cap. 24.

succi

fucci pluvii & maligni] Hic quoq; in scenam prodit Joh. Baptista Porta, Ranarum carnes, quia laxæ, humidæ, & putrefactioni obnoxiæ sunt, vitæ brevitatem facere existimans. Cùm ex adverso afferant Viri doctiss. eas non solùm probum, sed uberrimum alimentum præbere: eoq; nomine tabidis, & quos Græci ἀτρόφους vocant, utiliter præscribant. *Phytogn. lib. 4 cap. 4.*

Nonne verò risu dignum, quod idem Porta scribit, Ranas, quia noctu vocales sunt, efficere, ut arcana quæq; in somnis revelentur? *Eod. opere lib. cap. 16.*

AD LIBRVM.

IBis inepte Liber: ronchos & inania vulgi
Tædia disce pati: non mea, culpa tua est.
Et Medici & Vates intra sua pulpita nugas
Mille tua tacitâ non sine laude legent.
Post tamen in triviis damnabere: fabula fies
Publica; sed moneo, tu modò disce pati.
Hic tua ridebit medicamina, at ille poësim:
Alter erit Vates, cui nec eris Medicus.
Vade tamen: mitis domini templa ampla subito.
Huic, satis & super est, si satis esse potes.

AD EUNDEM.

ROma tuum fratrem si fortè, Libelle, reposcat,
Cui varia & novitas continuata placent:
Dic: venit, ille herbas & subterranea fodit
Fessulus: huic durum est, cùm sit onustus, iter.

COENÆ RELIQUUM AD CONVIVAM.

TÆdia si tardæ forsan, Conviva, culinæ,
Vel quereris junctas non simul ire dapes:
Turpe agis: apposito lentus discumbis in ostro:
Me Cilices vexant, Nilus, & omnis Arabs.
Semianimis montes & rura per ardua curro:
Hyblæi flores, me nemus omne rapit.
Mitiùs insurgas, tibi sic convivia prosint:
Debita sitq; tibi Cœna perenne mea.

CINNAMOMUM.

JAm Coquus exposcit redolentia Cinnama: sordent
Omnia, ni properas, nec sapit esca, Liber.
Hæc oculos, stomachumq; acuunt, tremulosq; lacertos
Sistunt: his sicca est, nec pituita fluit.
Artubus hæc vires jam torpescentibus addunt:
Et jecur, & renes, putreq; pectus alunt.
Tædia vexatæ matricis, & ilia tollunt
Turgida, vesicæ provida languidulæ.
Tot bona cùm pariant; mentitus credidit aurum
Posse dare: hinc nimium Cinnama jactat Arabs.

Cinnamomum regium olim fuit medicamentum. Raròq; præterquam in Cæsarum scriniis, ut refet Gal. quod optimum & selectissimum esset, reperiebatur. Ejusq; precium in singulas libras fuisse denariûm mille Plinius affirmat. quæ summa non multum infra ducentos florenos consistit. Unde hodie in tanta illius copia existimant non-

de Antidot. lib. 1. cap. 13.

lib. 12. cap. 19.

nonnulli Cinnamomum noſtrum, quod Cannellam vulgo vocamus, legitimum veterum non eſſe, ſed potiùs Caſiæ ſpeciem: cujus duplum cinnamomi defectu ſumendum monet Gal. libro cit. cap. 14. Si quid verò ex priſcorum nominum veſtigiis colligere licet, Cannellam noſtram à genuino Antiquorum Cinnamomo nullatenus diſtare affirmauerim. Scribit enim Petrus Taixeire lib. 1. Hiſt. Perſicæ cap. 35. Mercatoribus Sinis Cannellam in hanc uſq; diem vocari *Chin-Hamama*, quod eſt *Hamomum Sinenſe*. quam quidem appellationem aut ex antiquo nomine: aut hoc ex illa deductum eſſe, neminem puto negaturum.

NUX MOSCATA.

INdia Odoratas & craſſo rore madentes,
Cùm tamen exurant, dat tibi larga Nuces.
Hæ ſtomacho, jecori, vitiato ſpleni, & ocellis
Subveniunt, brumâ ſi modò læſa dolent.
His bene olent, & vix contactâ labella fameſcunt:
Veſica his patula eſt: has fluida alvus amat.
Quàm malè Nux dicta eſt. matronæ nobile munus
Nux Moſcata datur, cui malè vulva tumet.

brumâ ſi modò læſa dolent] Si craſſis, pituitoſis, frigidiſq; humoribus afficiuntur.

malè Nux dicta] Nucis nomen, quod à nocendo deductum eſt, huic malè inditum videtur, quæ plurimis & utiliſſimis facultatibus prædita eſt.

Anno MDCXX natam vidi Patavii in Horto Bembiano Nucem Myriſticam. Pullulaverat autem octuageſimo quarto à ſatione die duobus primis foliis rotundis, in cæruleo virentibus craſſiuſculis, ſuavem & aromati-

maticum odorem halantibus. ſed tertium promere parantem ſubſequens frigus corrupit.

GARIOPHYLUM.

Torrida ſi lucus Gariophyla donat, odores
Indicus at tibi det, cur terit iſta coquus?
Dejectum reparant ſtomachum: tenebroſa relucent
Lumina: calfaciunt cor gelidumq; jecur.
Inde volens munus te nobile vincere, cedat
Lutea, & unguiculis ſint ea lecta tuis.

Lutea] Caryophylla lutea neq; vidi ego, neq; ab aliis obſervata audivi. Quæ ad nos afferuntur, corticis caſtaneæ colorem æmulantur: quem ex aqua marina contrahere affirmârunt mihi, qui in Moluccis vixerunt: (ſolent enim Mercatores, ut à teredinum injuriis diu innoxia ſerventur, marinâ conſpergere) aliàs, quæ ex arbore collecta reponuntur, intenſiùs nigricare.

PIPER.

Ardet, & in nervos, glutinoſaq; phlegmata fertur
Sic Piper, ut nullum ſiccet Aroma priùs.
Exacuit ſtomachum: mollito ventre ſuperbit.
Hoc caveas, fervet ſi tibi bile jecur.
Corporis huic minime numero laus damna rependit.
Plura movent alvum, mejere pauca jubent.

ſiccet aroma priùs] Priùs & qualitatis intenſionem, & agendi celeritatem hìc ſignificare poteſt. Nullum enim Aromatum, quæ cibis condimentum præbent, validiùs ſiccat, citiùſq; vires ſuas exerit, quàm Piper.

mollito ventre] Tria Piperis grana ſeu ſemina integra vorata, alvum leniter ſubducere affirmant.

Plura

Plura movent alvum] Ita habent exemplaria omnia impressa, quæ hactenus vidi: ita etiam habebat MSc. Cl. Pignorii, quod ego totum olim exscripsi, putans ineditum esse Opusculum. Amanuensis tamen oscitantiâ inversus procul dubio fuit verborum ordo. Legendum enim *Pauca movent alvum, mejere plura jubent*. ex Arist. sect. 1. Probl. 44. ubi quærit cur Piper largè sumptum urinam, parcè alvum solvat. Vide Septalium fusissimè ad eum locum disserentem.

ZINZIBER.

IGnitum capiti & pituita Zinziber ingens
Antidotum, frigent cùm tua membra, cape.
Huic tamen innatus si non priùs aruit humor,
Vix satis esse potest igne tepente tibi.
Hoc oculis aufert tenebras: huic uvida debent
Omnia, ne putreant Zinziber edocuit.
Hoc odisse Venus potuit: sed maxima ventri
Commoditas: siccat, nec minùs ille cacat.

Hoc odisse Venus] Si verum est, Zinziber tentiginem hebetare, id tantùm de sicco, quatenus flatus, ad membri erectionem necessarios, discutit, asserendum. Nam recens, quod saccharo conditum ad nos affertur, coitum non segniter juvare compertissimum est. Sed hac de re ex professo disputantem lege Cardanum lib. 1. Controvers. 13.

CROCUS.

FAma vetus taceat: cedant pulmenta Luculli.
Cœna coronata est plenior ista Croco.

Hic

Hic Cilices redolent: ignita cacumina florum
Rubra ferunt cordi gaudia summa tuo.
Si mala sunt capiti, segnes ducentia somnos,
Illa decor, stomachus, tristeq; pectus amant.
Si bibit ista vorax poterit torpere palatum:
Jejuna hæc verita est sedula causa famis.
At venerem oblectant, vulvam reserantq; tumentem.
Hæc ede, si risus expetis assiduos.

Cilices redolent] Crocus probatissimus, qui in Cilicia & potissimùm in Coryco monte nascitur. unde Coryceo primas tribuit Dioscor.

ignita cacumina florum] Quæ medium floris occupant, stamina, flammei coloris, cùm sola medicis & coquinariis usibus inserviant, συνωνύμως Croci nomine insigniuntur. Quidam tamen Græcis privatim κροκίδας ea appellari volunt. Quo autem Auctore invenire nondum potui. κροκίδες aliàs dicuntur fila seu flocci in vestibus prominentes. Unde κροκιδισμὸς floccorum evulsio & collectio, delirantibus familiaris. Crocidis item ex Apollodoro meminit Plinius: cujus tactu phalangia moriantur.

Hist. Nat. lib. 24. cap. 27.

Plin. lib. 21. cap. 20.

ducentia somnos] Corollæ etiam ex Croco olim nectebantur ad mulcendam crapulam, & conciliandum somnum.

Illa decor.] Idem sibi vult Auctor, quod Dioscorides, dum ait elegantem colorem conciliare.

poterit torpere palatum.] i.e. poterit inediam ferre. Crocus enim licèt stomachum roboret; dejicit tamen appetitum, ex Avic. lib. 2. tract. 2. cap. 130.

si risus expetis assiduos.] Tantam aliqui tribuunt Croco vim exhilarandi Cor; ut eo liberaliter sumpto scribant homines ridendo exanimari.

ANI-

A N I S U M.

Pituitas Anisi grana exarentia pingues,
Igne pari iliacum solvere crediderim.
Si stomachus, lumbi, gelidumq́ increverit hepar,
Vesica intumeat, vulva, lien, femora,
Illa ede, & antiquo vel cor si caumate languet:
. Præsenti dices auxiliatur ope.
Laus numerosa quidem, minimi nec formula fallit:
Pectus & hoc torpens guttur, & alvus amant.

vulua] Ad muliebres affectus peculiari quadam prærogativâ commendatur: adeo ut Pythagoras apud Plin. olfacientes quoq; faciliùs parere affirmaverit. *lib. 20. cap. 17*

antiquo caumate] Per antiquum cordis καῦμα diuturnam febrem, à crassis & frigidis humoribus ortam intelligo. Sic nomine καυμάτων apud Hipp. febres nonnullos interpretari notat Gal. 7. Aphoris. comm. 13. aliàs quid in cordis æstu præstare possit medicamentum, quod Galeno teste ad urentium facultatem proximè accedit, non video. *lib. 6. simpl.*

minimi nec formula fallit] Minimo nempe semini magnas & innumeras dotes natura tribuit. Quo loco notare non alienum est, me ante aliquot annos coluisse Anisi speciem è Cypro allatam: cujus grana triplo erant vulgari majora: quod Theophrasti κοριάννισον esse opinatus sum: sic fortè appellatum, quòd ejus semina ad Coriandri magnitudinem accedant. *Hist. plant. lib. 1. cap. 18.*

guttur torpens] στόμαχος ἀνόρεκτος. Licet enim superno ventriculi ori propriè indita sit appetendi facultas; non ineptè tamen gula, quam gutturis nomine designat, appetere dicitur: cùm eâ potissimùm parte gustus & ciborum sa-

Dipnos. lib. 1. cap. 5.

por percipiatur. Ut non injuriâ Philoxenus ille Dithyrambicus apud Athenæum naturam accusasse videatur, quod sibi gruis collum non indulsisset: quo diutius cibi potûsq; voluptate frueretur. Appetentiam etiam præstare Anisum, ob idq; ἀνίκητον quibusdam vocari Plin. loc. cit. testatur.

Cæterùm cùm nullus Herbariorum, quos hactenus viderim, Vulgare Anisum ad vivum delineaverit, non ab re visum fuit hic ejus imaginem, quantum fieri potuit, ad naturæ amussim repræsentare. Ex qua observare poteris, inferiora folia, quæ integra & rotundiuscula esse debebant, perperam à Botanographis omnibus profundis laciniis efficta fuisse.




Anisum
Vulgare

CUMINUM.

Vilis & injussi campestria grana Cumini
Usta nimis: cultu mitia facta placent.
Hæc ede ventosi clamas si tormine ventris:
Et stomachum & lumbos igne minore juvant.
Pallida cui grata effigies & buxea cordi est,
Hæc simulata cohors religiosa voret.
Illa remollitum subducere docta lapillum,
Urinæ norunt rumpere posse vias.
Si tinea erodat vel ros tua corda nivalis,
Illa ede: rusticitas læsa probanda venit.

cultu mitia] Sativum Cuminum ab Hipp. παρὰ βασιλῷ i. e Regium cognominatur: quod nempe cultura mitius majusq; evadit. Cujus ad tormina præcipuus usus.

effigies buxea] Non sine mysterio Christus Servator noster ad arguendam Pharisæorum hypocrisin videtur Cumini meminisse.

lib. 28. cap. 14 Pallorem enim bibentibus gignere compertum est. Sic Plinius, Porcii Latronis Rhetoris sectatores similitudinem coloris, studii contracti eo imitatos fuisse scribit.

Satyr. 5. vers. 55. Unde Persius *pallentis grana Cumini* ab effectu appellavit.

Illa ede] i. e silvestria.

Rusticitas læsa] A Rusticorum indole festivum deducit epiphonema. Quasi velit dicere: si enumeratas utilitates consequi cupis, Agreste Cuminum non quidem cuti aut naribus admove, sed dentibus tere & vora. Rustici enim non precibus aut blanditiis, sed minis fustibusq; ad obsequium cogendi.

SINA-

SINAPI.

VAne olitor lacrymas dabis: exarsura Sinapis
Cura tibi est: miserum pœna sequetur opus.
Phlegmata, mucosum vel si attenuata lienem,
In caput, & febres ingeniosa potest:
Pellicere exanimem norit si provida vulvam,
Solvat & angustis imperet illa locis,
Inq; venenatos fungos victura feratur;
Dira prius lacrymis vult maduisse tuis.

in caput] Non aliud, inquit Plinius, in caput & cerebrum magis penetrat: à Pythagora propterea maximo in precio habitum: inde forsan existimans, mentem ad philosophandum puriorem reddi. *lib. 20. cap. 22*
exanimem vulvam] Strangulatione suffocatam Diosc. l. 2. c. 146. odore aceto mixto addit Plin. loc. cit.
lacrymis vult maduisse] Similiter Columella lib. 10.
Seq; lacessenti fletum factura Sinapi.
Proprium enim ejus est ciere lacrymas: diciturq; Græcis σίναπι, ut ait Athen. ὅτι σίνεται τὰς ὦπας τῇ ὀσμῇ, *quia olfactu oculos lædit*: & à nomine Sinapi deducit Casaubonus verbum σιναπῶ, quod ipsi est *vultum adduco*, proprium indignantium. Unde olim homines tetrici, tristes, & ἀγέλαστοι, ac ex Trophonii antro vaticinati *Synapi victitare* dicebantur. *Dipnos. lib. 9. cap. 1.* *in Notis ad Athen.*

CORIANDRUM.

NE crasso noceant oculis Coriandra liquore,
Siccata huc veniant igne referta levi.
Hæc caput invisâ pressum caligine mensis
Optat summotis, hæc fluida alvus amat.

Dura

Dura parum, stomacho tamen optatissima nostro:
Hinc redolens, sicca est, nec putret assa caro.
Niliacis præstant si sint delecta sub hortis:
Plura odi, parcâ sint mihi grata manu.
Sic mea demulcent ardentia corda, nec omnes
Nostra venus numeros perdet inepta suos.

ne noceant oculis] Vetustissimi Græcorum Coriandrum κορίαννον appellaverunt, quasi κορίαμβλον, παρὰ τὸ ἀμβλύνειν τὰς κόρας *ab hebetandis oculorum pupulis.* Posteriores verò κόριον ἀπὸ τῶν κορίων, quò scil. fœtidissimum & abominandum Cimicum odorem planta virens spiret.

igne referta levi] Galenus l. 7. Simpl. Dioscoridem arguit, quòd refrigerantis facultatis Coriandrum esse prodiderit: multisq; rationibus probare nititur, ipsum calefacere, & contrariis qualitatibus constare. Recentiorum verò quidam hac distinctione eos conciliare student. Virentem Herbam, ut Diosc. placet, refrigerare, largiùsq; sumptam movere mentem, & lethalem etiam fieri: Semen verò per maturitatem omni frigiditate depositâ manifestum calorem adipisci. Scribunt tamen Monachi Franciscani, qui in Mesuem Censuras ediderunt, Hispanos virente Coriandro copiosè vesci: nec solùm juribus incocto, sed etiam crudo in acetariis: & quidem, ut arbitror, innoxiè. Fidem enim me judice non meretur, quod illi subdunt: maximam reperiri ea de causa per universas Hispanias fatuorum copiam. Quisquis enim credit, herbam, qua homines dementire observatum fuerit, alios facilè in cibum admissuros, næ fatuus ille magis & amens censendus est. Admiratione quidem dignum mihi videtur, eos tam execrandum plantæ fœtorem non aversari. Sed hoc fortassis tribuendum peculiari Nationum genio & consuetudini. Nam & Guzarates aliosq; Indiæ Orientalis

Distinct. 2. cap. 75.

talis populos Asſâ Fœtidâ, quæ noſtratibus penè animam ſubverteret, fercula condire, eâq; lebetes & patinas inungere, imò non ſapere epulas, quæ tali ſcitamento fraudantur, teſtatur Petrus Teixeira Luſitan. lib. 1. Hiſt. Reg. Perſ. c. 6.

ſtomacho optatiſſima] Id peculiariter de Coriandro prodit Simeon Sethi: quòd cibos in ſtomacho tamdiu detinet, quoad probè cocti fuerint.

nec putret caro] Plin. ex M. Varrone, Coriandro ſubtrito cum aceto carnem incorruptam æſtate ſervari ſcribit. Quod verò Xenocrates apud eundem tradit, tot diebus fœminarum menſtrua cohiberi, quot Coriandri grana præſumpſerint, curioſis experiundum relinquimus. *Hiſt. Nat. l. & cap. 20.*

FOENICULUM.

Semina ſi chymo exurunt hortenſia duro
Fœniculi, & ſicco non bene ſana cibo;
Torridiora time ſilveſtria, renibus ingens
Pharmacum, & urinæ nobile curriculum.
Durius è lumbis ſunt comminuentia ſaxum:
Sint tumido hæc femori pabula fœmineo.
Ride infans: poterit recluſi munera lactis,
Si viride hortenſe eſt, mox revocare tibi.
Ride infans: molles colubri experientiâ ocellos
Servari incolumes hoc tibi poſſe docet.
Subverſum & vento ſtomachum extendente tumentem
Æquat: in antiquis febribus eſca potens.
Semina ſi redaperta vigent membra omnia; lotæ
Gloria radicis non minor exhibita eſt.

Silveſtre Fœniculum Dioſcoridi ἱππομάραθρον Nicandro ἴκκυον μάραθον vocatur.

ſi viri-

si viride Hortense] Semen quoq, cum ptiſſana ſumptum iiſdem viribus commendat Dioſc.

lib. 20. cap. 23. *colubri experientiâ*] Fœniculum, inquit Plinius, nobilitavere ſerpentes, guſtatu ſenectam exuendo, oculorumq; aciem ſucco ejus reficiendo: unde intellectum hominum quoq; caliginem eo præcipuè levari. Sic & Nicandri Scholiaſtes: ἱςέον δὲ ὡς οἱ ὄφεις ἐν τῷ χειμῶνι τυφλοὶ γίνονται διὰ τοῦ παγετοῦ· ἐν δὲ τῷ ἔαρι γευσάμενοι μαράθου πάλιν ὀξυδερκοῦσι, καὶ ἀναβλέπουσι. *Sciendum porrò ſerpentes hieme ex gelu cæcos fieri: verno autem tempore guſtantes fœniculum viſum recipere, & acutè iterum videre*. & pauló poſt: ὁ χυλὸς τοῦ μαράθου ὀξυδερκίαν παρέχει. ὅθεν καὶ οἱ δράκοντες οὐ μόνον ἐσθίουσι αὐτὸ, ἀλλὰ καὶ περιχρίουσι τοὺς ὀφθαλμούς. *Fœniculi ſuccus videndi acumen præſtat. unde ſerpentes non ſolùm eo veſcuntur, ſed & oculos inungunt*.

in Theriac. in princ.

ANETHUM.

Ne tua odoratum convivia fallat Anethum,
Igne tuis nervis torminibusq́; potens;
Inviſum eſt, moneo, ſtomacho, nec parcit ocellis:
Ubera ab hoc pleni munera lactis habent.

nec parcis ocellis.] Natura hoc quoq; nomine prava & ſiniſtra mortalibus videri poteſt, quòd Fœniculum & Anethum, contrariæ prorſus ad oculos facultatis herbas, tam ſimili facie donaverit; ut inconſulto guſtu alteram ab altera diſcernere difficillimum ſit.

PA-

P A P A V E R.

Lurida Niliacis nigra exſiccata ſub hortis
Peſſima, letheum quæ genuere Opium.
Candida ſint profugos latura Papavera ſomnos;
Ni modò ſint oculis noxia turgidulis.
Lenimen querulæ tuſſis, ſiſtentia fluxus
Quoſque, ſed in calidis commodiora focis.
Trita caleſcenti ſuperinducenda podragræ
Proſunt; inſipidæ ni gula parcit aquæ.

Papaver ſic appellatum putat Taubmannus ad Plauti *Act. 5. ſc. 2.* Epidic. quòd papæ i. e. pulticulæ infantum inderetur *in fine.* adverſus inſomniam. Solebant quoq; ejus ſemine olim inſpergi panes, μηκωνίδες, ſeu, vt Athenæus habet, μακωνίδες *Dipnoſ. lib. 3. cap. 17.* inde appellati. Quorum non ſolùm ad conciliandum ſomnum, ſed etiam, ut arbitror, ad gulæ delicias uſus erat. Unde ſumptâ metaphorâ Petronius Arbiter elegantem & ornatam orationem ſeſamo & Papavere ſparſam dixit. *quæ genuere Opium*] Ex Papaveris nigri lacryma denſabatur olim Opium: noſtris verò temporibus ex ſolo fermè albo præparari ſolet. Quod cùm nigro longè mitius ſit; fieri arbitror, quòd Orientales populi eo ita familiariter & citra noxam vti poſſint. Scribit enim Bellonius, *Obſervat. lib. 3* Turcas caſtra ſecuturos totas ferè provincias Opio ſpo- *cap. 15.* liare. Ejus nempe uſu ſe audaciores fieri, belliq; pericula minùs formidare ſibi certò perſuadent. Imò affirmat Petrus Teixeira, ſe quoſdam in India vidiſſe mortuos, *Hiſt. Perſ.* quòd eos Opium defeciſſet. At quamvis illos Opium lar- *lib. 1. cap. 6.* giter ſumere compertum ſit; fidem omnem mihi ſuperare uidetur, quod tradit Garcias ab Orta, Coraſonem quendam, Nizamaluchi Indiæ Regi à ſecretis, quotidie

decem & ultra illius drachmas non solùm innoxiè sumsisse , sed ad omnia muneris sui officia obeunda semper promptum fuisse.

Niliacis sub hortis] Opium, quòd ab Ægyptiis petebatur, reliquarum regionum prætulit Galenus. Quem secuti Arabes & Indi in hanc vsq; diem *Ofion Meçerè* i. e. Opium Ægyptium tanquam præstantissimum commendant.

de Antid. lib. 1. c. 2.

Teixeir l. c.

L A C T U C A.

Caumate in ardentis stomachi Lactuca nivale
Delicium, & somni dulcis alumna veni.
Si modò sit mundus cultor, non lota placebis.
Et prima & grata est, mensa secunda tua est.
Gratior æstivo es dum Sirius æstuat orbe:
Sed valeas, si vult gaudia nostra Venus.

somni dulcis alumna] Florentinus Græcorum Geoponicorum princeps Lactucam etiam stragulis suppositam somnum conciliare ait. Sed mirare hominis superstitionem: qui plantam ante solis exortum sinistrâ manu radicitus evelli jubet, ægrisq; nescientibus supponi.

& prima] Prima quidem mensa, quia alvum blandè subducit: quod & Martialis novit.

lib. 11. Epig. 53

Prima tibi dabitur ventri Lactuca movendo
utilis.

postrema verò, quia somnum efficaciùs conciliat, &, quod nonnulli putant, temulentiam arcet. Ultimo autem loco Veteres eam mensis intulisse idem Martialis in Xeniis testatur.

Sed valeas] Frigida & humida omnia libidinis œstrum obtundunt. Lactuca verò etiam ultra proprii tempera-

menti vires & peculiari quadam facultate id præstare creditur. Non edat hanc igitur, qui cupit esse salax, & qui liberis operam dare vult. Non solum enim venerem inertem reddit; sed frequenti usu genitale semen tandem extinguit. Imò, si Simeoni Sethi habenda fides est, filios etiam ipsos ad generandos impotentes reddit. Ut non injuriâ Ibicus Pythagoticus apud Athenæum εὐνοῦχον & ἀστυτίδα eam appellaverit. Inde arbitror Poëtas fabulatos, Venerem Phaonis amore captam eum inter Lactucas abdidisse, non aliam ob causam, quàm ut ibi à Mitylenæarum mulierum procacitate & indagine securiùs delitesceret: ratam haud vnquam suspicaturas, illam plantâ sibi invisâ dilectissimum puerum occultasse. *Dipnos. lib. 2. cap. 28.*

ENDIVIA. CICHORIA.

F*Rigida Campestris minùs est, & amarior: hepar Intyba demulcens: bilis utramq; timet.*

Campestris amarior] Silvestre Cichorium ab insigni amaritudine Græci πικρίδα vocaverunt. Videtur tamen hoc nomen ad alias herbas transferri. Nam Plinius Lactucæ pessimum quoddam genus cum exprobratione amaritudine Picrida appellatum ait. Unde & in sacris literis, ubi Deus Israëliticum populum nostri Paschatis azymos panes ἐπὶ τῶν πικρίδων, seu vt habet textus hebraicus *uhal merorim* comedere jubet, B. Hieronymus cum *Lactucis silvestribus* vertit. *lib. 19. cap. 8.* *Exod. cap. 12.*

BRASSICA.

Iam venias folio Chryſippica Braſſica criſpo,
Vel patulo & leni, vel glomerata comas.
Prima ſalutifera, & ventrem lenire parata,
Bullierit modico ſi tamen igne, placet.
Omnibus ardor ineſt, gravior tumet eſca ſecundis.
Ne capiti noceant vina ſuperba premunt.
Extumidam reſerant veſicam, agrumq́; lienem,
Hepar & obſtruſum, fœmineumq́; femur.
Arida Socraticam pareret ni Braſſica bilem,
Iure erat in morbis omnibus una ſatis.

folio criſpo] Hæ ſunt tres præcipuæ & à Veteribus celebratæ Braſſicarum ſpecies: Criſpa, Græcis σελινοειδὴς· λεία, læui & lato folio: & κεφαλωτή, quæ vulgo capitata & Glomerata dicitur, Pliniiq; Lacuturris eſſe creditur. Vocat autem Braſſicam Chryſippicam à Chryſippo Medico: qui, Plinio teſte, privatim ei volumen dicavit per ſingula hominis membra digeſtum. *lib.20.cap.9.*

Hiſt. Plant. lib 7.cap.4. *Prima ſalutifera*] Theophr. quoq; & M. Cato Criſpam ceu medicamentoſiorem cæteris præferunt.

bullierit modico] Conſtat Braſſica diverſis ac contrariis facultatibus. Siccanti enim & adſtringenti junctam habet aliam nitroſam valideq; abſtergentem: quæ cùm ſucco foliorumq; ſuperficiei inhæreat; fit, ut longiori & geminatâ coctione deperdatur. *comm. textus 3.* Hinc contrarium ſæpè ab illius eſu effectum experimur. quippe primum jus, aut ipſa leviter cocta alvum ſubducit: contrario autem modo eandem ſiſtit. Quod & in Lente obſeruatur.

Omnibus ardor ineſt] Averrhoës, quem alii ſequuntur, frigidam Braſſicam eſſe exiſtimavit. At Medicorum antesigna-

ſignanus Gal. calefacere apertè teſtatur. Libro enim de Salubri Diæta, ubi de victu hieme congruente; σὺ δὲ, inquit, καὶ τῶν ὀσπρίων ἐπιλέξῃ τὰ θερμαίνοντα καὶ ξηραίνοντα, καθάπερ τὴν φακῆν. ἀλλὰ καὶ τῶν λαχάνων ὅσα ταύτην ἔχει τὴν δύναμιν, ὥσπερ ἡ κράμβη: *tu verò è leguminibus eliges quæ calefaciunt & exſiccant, ut Lens: ex Oleribus verò quæcunque eandem habent facultatem, ut Braſſica.* & Hippocrates ante ipſum κράμβη θερμαίνει *Braſſica calefacit.* Quorum verba eo conſilio hìc inſerere volui, ut videres, quàm verè Ludovicus Septalius, doctiſs. alioquin & indefeſſi ſtudii vir ſcripſerit, Græcorum neminem primarum ejus qualitatum meminiſſe. *lib. 2. de Diæta* *Probl. ſect. 3 comm. 17.*

vina premit] ἀκραίπαλος enim eſſe creditur: & primâ menſâ ſumpta ebrietatem arcere: poſtremâ verò eandem diſcutere. Propterea Sybaritas, antequam potarent, ejus ſemine ſe præmunire ſolitos ſcribit Athenæus. Hoc referunt nonnulli in latentem quandam Braſſicæ & Vitis antipathiam. Obſervârunt enim rerum naturalium indagatores, Braſſicam propè Vitem conſitam mox tabeſcere, aut Vitis ſarmenta ſiccari. Et ſi Braſſicæ, dum coquitur, vinum inſtilletur, non ampliùs coqui, ejuſq; colorem corrumpi. Vitiari quoq; in dolio Vini ſaporem ejuſdem foliis demerſis. Vineas præterea, in quibus ſatæ Braſſicæ, languidius Vinum ferre: nec improbabile ducunt, eaſdem quoq; inimicitias in humano corpore exercere. Ariſtoteles verò, qui rerum cauſas è naturæ penetralibus quærit, ideo putat Braſſicam ab ebrietate præſervare, quia ejus ſuccus Vinum per alvum & urinam facilè poſſit educere. Sic Vinum dulce caput minùs gravare compertum eſt, quia faciliùs per inteſtina deſcendit. Sic Abſinthium, Crocus, Allium, Raphanus aliaq; multa ebrietatem arcent, quia urinam liberaliter provocant. Exiſtimârunt *in fin. lib. 1. Dipnoſoph.*

alii

alii ex Brassica elevari crassos vapores, qui densæ cujusdam nubis instar coërceant Vini spiritum, quo minùs cerebrum tentare possit. Hac ratione oleum ad arcendam crapulam valet, non quia, ut ait Philosophus, urinam moveat, haustoq; vino viam sternat; sed quia ventriculo innãtando, non sinat acres Vini spiritus in caput ascendere. modo non absimili, quo pharmacopolæ succos medicatasq; infusiones affuso oleo diu non evanidas & incorruptas servare solent.

Sect. 3. Problem. xit.

Socraticam bilem] Ita παρακρατικῶς Melancholiam vocat. Socratem enim melancholicum fuisse, & ejus mores à Laertio relati ostendunt, & apertè testatur Arist. sect. 30. Probl. 1. Porrò licet Cato Brassicam atræ bili adversari, morbos ex ea sanare constanter affirmet; contrarium asserentem Galenum habemus: qui solam ex Oleribus Brassicam melancholicum sanguinem gignere scribit.

de loco aff. lib. 3. cap. 7.

in morbis omnibus una satis] Futura nempè videbatur πάγχρηστον medicamentum. Quo nimirum solo Pop. Rom. si Plinio credimus, pulsis Urbe Medicis DC annis adversus morbos omnes usus fuit. Cujus mirabiles & penè innumeras facultates, licèt pleraq; nullâ ratione suffultas, fusè prosequitur M. Cato Rei Rust. cap. 156. Et ob cujus multiplices usus puto Menandrum sacram illam appellâsse: non autem quia Teleolides & Epicharmus per eam jurare soliti fuerint, ut censet Athenæus lib. 8. Dipnosoph. cap. 2.

lib. 20. cap. 9.

B E T A.

Beta mala est stomacho Viridis vel Nigra: niuali
Rore caput mundat naribus hausta tuum.
Compar eat Malvis: clysteri immixta dolores,
Quos tibi mansa facit, pellere Beta potest.

Viridis

Viridis vel Nigra] Beta Veteribus duplex fuit, Alba, & Nigra. Auctor Viridis nomine Candidam notat à diluto foliorum virore: qui in altera ad atrum magis vergit. Sic & Columella lib. 10.

Deprimitur folio Viridis, pede candida Beta.

Compar eat Malvis] Laxandi facultate, qua utraq; prædita est. Experientiæ enim non respondet, quod Plinius tradit, Candidis solvi alvum modicè, Nigris adstringi. Licèt enim Nigra, Galeno teste, minùs deterget, & adstrictionis nonnihil sit particeps; & ipsam tamen ventrem solvere compertum est. *Hist. Nat lib. 19. cap. 8.* *Simpl. lib. 8.*

SPINACHIA.

SI levioris edas brumæ Spinachia, primum
Ejice jus, succo & dilue amygdaleo.
Sic stomacho minùs invisa & præcordia & alvum
Mulcent: clamosis commoda pleuriacis.

levioris brumæ] i. e. succi inter Olera innocentioris. Ita enim de Spinachiis censent Arabes: qui ea amygdalino oleo condita in morbis pectoris peculiariter cõmendant.

APIUM. PETROSELINUM.

TOrrentis plures Apii seris inscie plantas,
Villice, Petrosum vix mea mensa capit.
Et nocuum hoc capiti, & stomacho minùs utile tardo.
Lactucæ extremo, si placet, adde cibo.
Cura caput nobis prior est: quem phlegmata vexant
Splen, femur, aut renes, vel jecur illud edat.

nocuum capiti] Insensissima capiti sunt omnia Apii genera: & proprietate quadam Eplepsiam gignere creduntur:

tur: opinanturq; nonnulli σελίνε nomen apud Græcos invenisse ἀπὸ τῆς σελήνης à Luna, quia morbum hunc, qui per quosdam Lunæ circuitus accessiones ut plurimùm habere solet, indeq; Lunaticus etiam dicitur, inferre observatum sit. Plinius in puerperis ab esu Apii Comitiales fieri scribit, qui ubera hauriunt. & Arnald. Villanov. prægnantes, quæ frequenter Apio vescuntur, Epilepticos parere. Ut propterea mirari subeat Galenum, quòd in

cap. 4. Consilio pro Puero Epileptico Apium & Smyrnium commendaverit: quod etiam à Q. Sereno in ejusdem mali cura propositum legimus.

stomacho tardo] Imbecilli tardeq; concoquenti. aliàs Apium stomacho gratum judicavit Gal. lib. 2. Alim. cap. 52. ubi lactucis misceri ait, ut insipidum earum saporem acuat, simulq; frigiditatem attemperet.

MENTHA.

Nauseat, ignitam & bene olentem carpere Mentham
Vult stomachus: caput est triste, morare Liber.
Obstruit illa femur, veneri tumefacta parumper
Grata licèt: sperma hinc lacve coire nequit.

bene olentem] ἡδύοσμα etiam cognominavit Oppianus l. 3. ἁλιευτικῶν. Odoris autem gratia proprium & antiquum herbæ nomen apud Græcos immutavit. quæ priùs enim μίνθη dicebatur, ἡδύοσμον vocari cæpit.

veneri grata] Rebus venereis ineptam esse Mentham

lib. 2 Diat. Sect. 20. Problem. 2. Hipp. Aristot. aliiq; scripserunt. At Diosc. Venerem stimulare apertè asserit. Utrumq; fortassis affirmari potest: illud nempe de Silvestri: hoc de Sativa. quam venerem mediocriter stimulare ait Gal. ob flatuosam & semicoctam humiditatem, quam ex cultura sibi adsciscit: qua

destitui videtur, quæ in silvestribus crescit.

lac coire nequit] Hæc de Mentha à Veteribus produntur: quòd lacti immixta coire & densari id ampliùs non patiatur: quòd fœminarum locis ante coitum admota conceptum impediat: quòd genitale semen liquet & corrumpat: quòd deniq; ægrè curentur eorum vulnera, quibus ipsa exhibita fuerit. propterea videtur Oppianus οὐτιδανὴν, & ejus Scholiastes βοτάνην malam & nihili herbam appellâsse.

R U T A.

Singultus acidos pellat, gelidumq́ lienem
Igne suo, umbrosis optima Ruta oculis.
Si femur hanc lascivum odit, rabidumq́ venenum,
Discupit hanc nervus cœliacusq́ dolens.

Singultus] i.e. ructus acidos, qui ex frigida ventriculi intemperie fiunt.

umbrosis] i.e. caligantibus oculis: in quem finem ejus succus collyriis utiliter miscetur. Ut propterea Plinius *lib. 20. cap. 13.* jure reprehenderit Pythagoram, quòd Rutam oculis noxiam existimaverit: asserens, sculptores pictoresq; visûs acuendi causâ hoc cibo frequenter uti. Non latuit hoc Sulmonensem Vatem, qui *acuentes lumina Rutas* vocauit. *lib. 2. de Remed. Amor. prope fin.*

lascivum femur] Ruta Græcis πήγανον dicitur, teste Nicandri Scholiaste, παρὰ τὸ πήγνυσθαι τὴν γονὴν, *à congelanda genitura.* Ait enim ἐπισχετικὸν εἶναι τῆς συνουσίας *venerem compescere*: ideoq; τοὺς μυουμένους *sacris initiatos* eâ uti. Gal. ad nocturnas veneris imagines ejus folià substernit. *de San. tuen. lib. 4. cap. 14.*

rabidumq́ venenum] Lethalibus medicamentis auxiliatur: & præsumpta, ut ait Avicen. à venenatis poculis præservat. *lib. 2. tr. 2. cap. 579.* Scribit quoq; Arist. mustelam cum serpente *Hist. Anim. lib. 9. cap. 6.*

dimicaturam Rutæ esu se præmunire : quippe ejus odor serpentibus infensus est. Palladius etiam Rutæ ramulos adversus noxia animalia in columbariis suspendi jubet.

Rei Rust. lib. 1. cap. 24.

cœliacus] κωλικευτικῶς pro colico.

Est autem Ruta miræ viuacitatis planta. Tradit enim Flavius Iosephus in Macheruntis Regia Rutam fuisse tantæ proceritatis, ut nulla ficu magnitudine aut crassitudine esset inferior. Quam ab Herodis temporibus durâsse fama erat : ulteriùs etiam duraturam, nisi à Iudæis, qui locum occupârant, excisa fuisset.

Bell. Iud. lib. 7 cap. 38.

C A P P A R I S.

Solvitur ardenti torpescens flore palatum
Capparis & folio cumq; liene jecur.

ardenti flore] Nostras Capparis secundo calefacientium ordine constituitur. Qui verò in Africa & Arabia nascitur longè calidior esse videtur : quem & pustulas in ore excitare & osse tenus gingivas exedere Diosc. & Plin. scripserunt. Cui non absimile quod in Hodœporico suo Orientali tradit Rudolphus Avantius Eques Rhodius, in Queixome finûs Persici Insula non longè ab Harmuzio Cappares ad arboram magnitudinem crescere : cæterùm adeo acres & amaros, ut à nullo animalium, prȩterquàm ab aquaticis quibusdam Avibus attingantur. *cum liene*] Efficacissimus quidem est Capparis ad imminuendos extuberantes lienes. Nimis tamen hyperbolicè scriptum à Plinio, ejusdem radicis cortice xxxv diebus in vino hausto totum lienem per alvum, & urinam expurgari.

lib. 20. cap. 15.

Zenonem Stoicum refert Laertius per Capparim jurare solitum fuisse. Cujus consuetudinis vestigium quoddam apud

apud Italos adhuc videtur superesse: qui aliquid cum admiratione aut ironiâ extollere aut affirmare volentes, etiamnum hanc vocem *Cappari* usurpare consueverunt.

B O R A G O.

SI tibi Buglossa est succi & Borago tepentis,
Lætus eris, siccum nec tibi pectus erit.

Quam vulgo Boraginem dicimus Veterum Buglossum esse à doctis. viris satis superq; probatum est. M. Cato voce Romanâ Linguam Bubulam vocat: & Apulejus apud Lucanos Coraginem appellari ait: quòd Cordis affectibus, ut quidam existimant, opem ferat. Nisi malimus apud Apulejum Coriaginem legere: fortè quia ad Boum Coriaginem ejus esset usus. Est autem Coriago, Columella teste, morbus, cùm pellis ita Boum tergori adhæret; ut apprehensa manibus diduci à costis non possit. Ex alterutra harum vocum videntur Recentiores Boraginis nomen formâsse. *Rei Rust. cap. 40.* *Rei Rust. l. 6. cap. 13.*

Lætus eris] Eadem causa εὐφρόσυνον Plinio dicitur. Folia enim in vinum injecta animi voluptates augere creduntur. in quem finem hodie flores saccharo condire solent. *lib. 25. cap. 8.*

siccum pectus] Hoc videtur innuere Apulejus, ejus succum cum melle ad suspirium proponens. Suspiriosos autem vocabant, qui spirandi difficultate laborant. *cap. 41.*

A S P A R A G U S.

QUòd, Liber, Asparagos habeas vix igne tepentes,
Quos tulit Adriacis cincta Ravenna vadis:
Quòd etiam incultis, durâq; à cote revulsis,
Qui magis exurant, plena culina tua est;

Hoc tibi ab excelſo eſt non parvum munus Ubaldo,
Cui datur immotæ gloria prima Rotæ.
Quàm bene conſuluit nobis? tibi nomen ab illo
Æternum: addicta eſt vita ſaluſq́; mihi.
Renibus hinc valeo, jecore, intumidoq́; liene:
Ilia, nec mundum tergus, ut ante, dolet.
Si venere hinc crucior, ſupra hoc mihi munus abundè eſt:
Quod potuit ſalvâ relligione dedit.

Aſparagorum omnium ſilveſtrem & ſpontaneam originem eſſe exiſtimo: nec aliâ ratione Altiles, quibus hodie veſcimur, factos, quàm Silveſtribus aſſiduo cultu, atq; iterato mangonio cicuratis. Cujus quidem rei argumentum eſt, quòd Hortenſes noſtri uno aut altero anno culturâ neglecti, duriores hiſpidioreſq; evadant, & ad priſtinam ferè redeant feritatem. Propterea Hermolao Barbaro, aliiſq; non facilè ſubſcripſerim, qui putant hodiernos Aſparagos noſtros Veteribus incognitos fuiſſe. Si enim diligentem curam examinemus, quam colendis Aſparagis ſuis illi impendebant; videbimus à noſtrorum olitorum cultura parum aut nihil differre: talemq; fuiſſe, quæ potuerit agreſtem eorum naturam domare, & ex aſpera ſpinoſaq. mitiſſimam reddere. Hoc ſibi velle videtur Plinius, dum inquit, *Silveſtres fecerat natura Corrudas, ut quiſq́; demeteret paſſim: ecce Altiles ſpectantur Aſparagi.* Quibus alibi, *Hortenſiorum omnium lautiſſimam curam* eſſe ſcribit. Quo ſolo Plinii loco poterit iis ſatisfieri, qui cenſent, Aſparagos nullo olim in honore habitos fuiſſe. Quòd ſi objecerit quiſpiam Veterum Altiles culturâ quidem mitiores factos non tamen ſpinis prorſus caruiſſe, ut ex Martiali & Rei Ruſticę Scriptoribus videtur colligi poſſe; ipſi opponam Dioſcoridem, qui Hortenſi Aſparago lenia fœniculi folia adſcripſit, nullâ de

[Margin notes: *Corollar.* 355. — *Lib.* 19. *capp.* 4. & 8.]

ſpinis factâ mentione: & quidem verbis adeo luculentis; ut talpâ cœcior ſit, qui non ſtatim in iis veram Altilis noſtri faciem agnoſcat. Sed modò ſufficiat iſta prælibaſſe: quandoquidem alibi σὺν θεῷ hæc fuſiùs probaturi ſumus.

à cote revulſis] i. e. Corrudis: quos à natali loco πετραίης vocabant Græci.

renibus hinc valeo] Fallitur Plinius, Aſparagum veſicam ulcerare ſcribens: contrarium docente ratione & experientiâ. *lib. 20. cap. 10.*

ſi venere hinc crucior] Venerem Aſparagos ſtimulare certiſſimum eſt. ut propterea non admittendum videatur, quod ſcribit Dioſcorides alligatam radicem aut hauſtum ejus decoctum cōceptum adimere & ſterilitatem inferre. *lib. 2. cap. 152*

Quod verò fabulæ loco ſcribit Dioſc. naſci Aſparagos contuſis defoſſiſq; arietum cornibus, Mizaldus propriâ experientiâ veriſſimum eſſe teſtatur. fides ſit penes Auctorem. *lib. 2. Secret. Hort. cap. 15.*

AMARACUS.

Torrida ſi nervis & Amaracus apta cerebro,
Hanc ſitiens ſemper non minùs optat hydrops.
Urinæ & tumidis reſerat ſpiracula ventis.
Hanc, cui ſit matrix ægra, puella voret.

ſitiens hydrops] Hydropicorum ſitim, qua non aliud ipſis contingit moleſtius ſymptoma, eleganter Ovidius auri ſacræ fami comparavit. *lib. 1. Faſt. Verſ. 11*

Creverunt & opes & opum furioſa libido:
Et cùm poſsideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Porro licet Amaracus omni hydropi convenire poſſit; aptior

aptior tamen videtur Tympaniti, quandoquidem flatus vehementer discutere potest.

SERPYLLUM.

Menstrua Serpyllum, vesicæ pondera, tabem
Pectore ab infirmo subtrahit igne suo.

tabem] Crassos & putridos humores spiritales partes obsidentes.

MELISSA.

Cor mihi triste, gelu pectus cerebrumq́ rigescit,
Singultit stomachus, grata Melissa veni:
Per te hilaris, redolens, & mundi corporis, aucto
Sumq́ calore potens: gratia magna tibi.

Melissa Græcorum μελισσόφυλλον esse creditur: quod Marrubii defectu, tanquam illius ἀντιβαλλόμενον substitui posse, scribit Gal. lib.7. Simpl. Nicandri autem Scholiastes Dorycnium etiam Melissophyllum vocat. inquit enim δορύκνιον, ὃ καὶ μελισσόφυλλον καλεῖται, ἀγρία βοτάνη ἐστίν. αὕτη κοπτομένη ὀπὸν ἀποστάζει, ὅμοιον γάλακτι τὴν θέαν, καὶ τὴν γεῦσιν, καὶ τὴν ὀσμήν. ὅθεν καὶ δυσδιάκριτόν ἐστι τῷ πίνοντι, πότερον γάλα ἐστὶν, ἢ οὔ. *Dorycnium, quod & Melissophyllon vocatur, siluestris est herba: quæ vulnerata succum fundit, aspectu, gustu, & odore lacti similem. Quocirca bibenti quoq́ difficile est judicare, utrum lac sit, necne.* Sed quid est?

Alexiph. ubi de Dorycnio.

MER-

MERCURIALIS.

Usta parum vulvæ duroq; innoxia ventri,
Fœmina seu Mas sit, Mercurialis erit.
Maxima Mercurio laus est. Fœmella puellam,
Mas puerum, venus est cùm sociata dabit.

Usta parum] Nullus Græcorum, quòd viderim, Mercurialis temperaturam expressit. Auerrhoës cum Recen- *Collectan.* tioribus primum illi caloris & siccitatis gradum assignat. *lib. 5. cap. 42.*
maxima Mercurio laus] Ab inventore latinis Mercurialis, Græcis ἑρμοῦ βοτάνιον dicitur.
Mas puerum] Diosc. & ex eo Plinius mirum de vtraq; *Hist. Nat.* specie produnt: ut Mares gignantur, Hunc facere: ut *lib. 25. cap. 5.* Fœmina, Illam. Reliqua ibi fusiùs legere poteris. Hoc solo argumento Valerius Cordus censuit, Fœminam esse *Annot. in Diosc. lib. 3.* φύλλον θηλυγόνον: Marem ἀρρενογόνον: quorum meminit *cap. 140.* Theophr. l. 9. Hist. Plant. c. 19. quamvis non omnes notæ respondeant. Mirabilem autem naturæ metamorphosim in hac planta observare licet: Marem in Fœminam interdum mutari. Quod ego studio satis illius seminibus quandoq; expertus sum.

Auctor alterius de Dynamidiis, Galeno adscripti, Mercurialem sanguinem purgare scribit. Quo loco per Purgare non educere & evacuare, sed defœcare & depurare intelligendum. Quippe nullum datur medicamentum, sanguinem educens, quod venenis annumerandùm nō sit, ut docet Gal. libro de purg. medic. fac. cap. 4. ubi historiam refert illius, qui herbam hæmatogogam invenerat: si modò historiam & non fabulam dicere illam malimus. Cathartica enim medicamenta cùm vires suas non exerant, nisi à calore nostro in actum deducantur: quis sibi

per-

persuaderi patiatur, plantam suillo jecori, jam exanimi & frigido, admotam sanguinis rivulos educere potuisse?

S A L V I A.

Vix sicca est: calido stomachum & cerebella juvabit,
Certa salus tremulis Salvia poplitibus.
Dentibus, urina reclusa, menstrua ducens
Salvia, & in fluidis ventribus apta satis.

Vix sicca] Recentiores tamen secundo siccantium ordine eam constituunt.

menstrua ducens] Salvia adstringẽtis facultatis esse, nemo, quòd sciam, hactenus negavit. quo nomine Aëtius gravidas mulieres, si fluidæ & laxæ sint, i. e. si facilè abortiant, eam comedere jubet. Fœtum enim in utero continere, & vegetum vitalemq; reddere, Agrippa apud eundem notauit, *ἱερὰν βοτάνην* inde eam vocans. Menses item immoderatè fluentes & Muliebre profluvium suffitam compescere, idem prodidit: & quidem solidiori ratione, quàm Diosc. ex quo Auctor, menses & fœtum mortuum educere.

cap 101. Dicitur autem Saluia Apulejo etiam Corsalvium: fortè quia natiui caloris fontem fovere & conservare quibusdam persuasum sit. Sedulò tamen cavendum, ne pro salutari ope extremum Cordi exitium afferatur. Bufone enim non solùm ejus umbrâ, quod alii quoq; scripserunt, delectari, sed & folia avidissimè vorare, & funestissimâ salivâ suâ inficere observavi.

ARTE-

ARTEMISIA.

Est calida & capitis frigenti in tormine ficcans
Provida, Parthenidos cui modò nomen erat.
Regia jam facta est: menses revocatq; secundas
Fœmineas, vulvæ sedula in obsequiis.

Parthenidos cui modò nomen] Id totum elegantissimè Plinius. *Mulieres quoq; hanc gloriam affectauere: in quibus Artemisia uxor Mausoli, adoptatâ herbâ, quæ antea Parthenis vocabatur. Sunt qui ab Artemide Ilithya cognominatam putent: quoniam privatim medeatur fœminarum malis.* Ab Artemide nomen deducit etiam Pseudo-Macer: lib.25.cap.7.

Herbarum matrem justum puto ponere primum,
Cui Græcus sermo dedit Artemisia nomen.
Hujus opem fertur prior invenisse Diana,
Ἄρτεμις à Græcis quæ dicitur: indeq; nomen
Herba tenet.

Hinc Vegetius latinâ inflexione Dianariam appellare voluit. Mulo-Medic. lib.3.cap.33.

Sub hujus Plantæ radice reperiri ajunt Carbones, quos & viri docti se vidisse affirmant, inter Epilepsiæ amuleta decantatissimos. Superstitiosi vigiliâ Divi Johannis, & ipso meridie eos colligi jubent.

ROS-MARINUS.

Dentibus & gelido capiti tumidisq; lacertis
Et stomacho ignitâ est Ros Maris aptus ope.

Extra chorum saltare non videbor, si loci opportunitate ductus præstantissimum ex Rore-marino medicamentum, quod inter clariss. Joannis Prævotii præceptoris mei selectiora quædam legi, in medium protulero. Quod ut Tu,

Candide Lector, gratiori animo excipias, iisdem, quæ ex illius autographo excerpsi, verbis fideliter hìc subjicio.

„ Cùm mihi certò constet multorum casibus vis admi-
„ randa subscripti remedii, narrabo quâ fortunâ in illud
„ inciderim. Anno M DC VI vidi inter libros Francisci
„ Podocatari ex nobiliss. Cypria familia, cum quo summa
„ mihi erat familiaritas, pervetustum Breviarium, maximæ
„ apud eum venerationis: quod à S. Elisabetha Hungariæ
„ Regina majoribus olim suis datū assereret in mutuæ be-
„ neuolentiæ symbolum. In hujus libri vestibulo Reme-
„ dium ad Podagram illius Reginæ manu inscriptum mihi
„ oblatum fuit perlegendum: quod his formalibus verbis
„ quæ inde exscripsi, erat expressum.

Ego Elisabetha Hungariæ Regina anno ætatis LXXII multum infirma & podagrosa usa sum per unum annum istâ receptâ, quam mihi dedit unus antiquus Heremita, quem nunquam videram nec antea, nec post: & fui citò sanata & viribus restituta, atq; omnibus apparens ultra modum pulchra, ut Rex Poloniæ me petierit in matrimonium, cum ego & ille vidui essemus. Renui tamen id agere amore Dom. nostri Iesu Christi; à cujus Angelo credo me accepisse hanc medicinam. Recepta hæc est:

℞. *Aquæ vitæ quater passatæ part. iij.*

summit. & flor. Rosmarini part. ij.

ponantur in vase bene clauso simul: stentq; in loco calido per L. horas: tum alembico destillentur: & manè in cibo vel potu sumatur drach. 1. singulis septimanis semel: & omni manè laventur cum ea facies & membra ægra. Renovat vires, acuit ingenium, mundificat medullam & nervos, visum instaurat & conservat, vitamq; auget.

Hæc ex Breviario.

„ Neq; vanum esse putes hujus Remedii, paratu facillimi,

enco-

encomium. Præservavi aliquot antiquę Podagræ & fre- „
quenti obnoxios hoc remedio: adjunctâ tamen conve- „
nienti diætâ, nec non usu Hermodactylatæ repetitæ sin- „
gulis mensibus pro corporis impuritate. Cùmq; hujus „
medicamenti variæ extent descriptiones; hanc omnibus „
præfero parandi facilitate & suavitate: „

℞. Hermodactylor. Oriental.
Turbith electi an. unc. ß.
Diagridii drach. i.
Zinziberis scrup. ij.
Sacchari fini vnc. i.

M. f. pulvis exhibendus ex jure calido à drach. i. ad ij. circiter.

Hæc ex Prævotii schedis.

BETONICA.

Publica Betonicæ, qua nulla operosior herba,
Gloria, siccato grata tepore venit.
Cui dolet, aut luxum est corpus, cui vulnera mille,
Cui caput infirmum, cui jecur invalidum,
Cui stomachus gelidusvè lien, cui lumina languent,
Quiq; lacessitis dentibus invigilat.
Cui serpens rabidusue canis, vel dira venena
Officiunt, podagrâ qui dolet aut chiragrâ.
Deniq; cui tumida est vesica, & venter obesus,
Cui gelida est febris, cui pituita nocet,
Delectam aprico Geminorum in colle sub ortu
Carpat, & hanc, salvus si velit esse, bibat.

qua nulla operosior herba] Gabriel Hummelbergius, qui Opusculum de Betonica, Antonii Musæ nomine vulgatum, notis illustravit, Betonicam Græcis κίστρον appellari ait

ri ait ob varietatem & copiam remediorum. Sed quæ sit hujus etymi ratio, non assequor. Nisi forsan dicere voluerit, κέστρον dici, quasi κεστὸν. Sicut enim κεστὸς ἱμὰς erat ποικίλος, καὶ πολυκέντητος, *cingulum multis interpunctionibus variegatum*: in quo, ut ait Homerus, θελκτήρια
Iliad. ξ. πάντα τέτυκτο. *illecebræ omnes structæ erant*; sic Betonica πολύχρηστον medicamentum est, cunctisq; penè morbis accommodatum.

cui serpens] Venenatis morsibus utiliter imponitur. mi-
lib. 25. cap. 8. rumq; de ea prodit Plinius, serpentes ejus circulo inclusas, ipsas sese interimere flagellando. additq; domum, in qua sata fuerit, tutam existimari à piaculis omnibus.
lib. 4. cap. 1. *venter obesus*] i. e. retentis fœcibus tumidus & induratus. alvum enim teste Diosc. subducit.

Geminorum sub ortu] Quod est circa primum & vigesimũ Maji mensis diem. Antonius verò Musa, seu quisquis ille fuerit, in Præfatione ad M. Agrippam, colligi vult mense Augusto, cùm cæteræ herbæ maturescere incipiunt: quo quidem tempore opportuniùs in medicos usus reponi videtur.

BATICVLA.

Sic capiti & stomacho Batis arida grata tepore,
Sive sit Hortensis, sive Marina tibi:
Sic jecur & lumbos, vesicæ aptissima, mulcet,
Inter regales ut sit habenda dapes.

Batis meminit Plinius duobus in locis: sed vtrobiq, adeo jejunè, ut præter nudum nomen nullam ejus notitiam nobis reliquerit. Lib. 21. cap. 15. loquens de sponte nascentibus herbis, quæ in ciborum usum veniunt. *In Italia*, inquit, *paucissima novimus: fraga, tanum, ruscum, Batim marinam, Batim hortensianam, quam aliqui asparagum gallicum*

Gallicum vocant . & eodem libro cap. 26. *Batis quoq. alvum mollit: illinitur podagricis tosta & contusa*. Columella quoq; lib. 12. cap. 13. *sunt quædam herbæ, quas appropinquante vindemiâ condire possis, ut portulaca, olus cordum, quod quidam sativum Batim vocant*. Nec plura addunt. Non desunt tamen viri docti, & in Botanicis versatissimi, qui Batim eandem esse existimant, quam Diosc. Crithmum, seu Critamum, vulgus Fœniculum marinum, & Herbam Sancti Petri vocat: eo fortassis argumento ducti, quòd idem Plinius Batim Crithmi speciem fecerit. Sed præterquam quòd invalida conjectura hæc est, nec Batim Crithmum ipsum esse convincat; illud mihi scrupulum non levem injicit, quòd Columella Bati muriam convenire neget, qua Crithmum condiri & conservari Diosc. & Plinius tradunt. Licèt autem controversia hæc facilè componi possit, si Dioscoridem & Plinium agrestis, Columellam verò sativi condituram respexisse dicamus. nolo hac in re meum interponere judicium, neq; in tanta auctorum brevitate affirmare, Batim Crithmumq; unam eandemq; esse plantam. Auctorem quidem nostrum Baticulæ nomine Crithmum ipsum designâsse non dubito. quippe facultates, quas ille Bati adscribit, iisdem, quas Crithmo Diosc. & Botanici, adamussim conveniunt. Caput enim & ventriculum roborat, jecur, & lienem ab infarctu liberat, auriginem tollit, urinas moderatè provocat, & ad excitandum appetitum vix est reperire par remedium: in quem usum aceto & sole condita in externas & longinquas regiones infertur: ubi deliciarum loco habetur, & in acetariis capparum more avidè expetitur.

siue sit Hortensis] Duplicem cum Plinio ejus statuit speciem, Marinam & Hortensem, Marinam illam vocans,

quæ

quæ circa littora adoleſcit, & nativi ſoli qualitatem adhuc redolet: Hortenſem verò, quæ in hortos, ut puto, trãſlata, aut in iiſdem ſata manſueſcit: quæq; cultui â & mangonio ſalſilaginem & agreſtem naturam exuit. aliàs nullam Batim (ſi modò eadem cum Crithmo) Hortenſem novi, aut ab aliis òbſervatam audivi.

DRACUNCULUS.

Ne vereare, tuam ſi fortè Dracunculus intret,
Stulte Liber, cœnam: fercula amata feret,
Ignitum ſtomacho ægroto allatura teporem,
Veſica & lumbis non minùs apta meis.

Draco, ſeu Dracunculus Hortenſis vulgaris eſt planta nonnemini nota. Nugantur qui ſemine lini bulbis inſito naſci tradunt: ut ego non ſemel irrito eventu expertus ſum. Falluntur quoq; qui primum illi caloris & ſiccitatis gradum aſſignant. Quippe acris & vellicans ejus ſapor ad erucæ & naſturtii temperamentum accedere convincit: ut propterea ad temperandam lactucarum frigiditatem utiliter miſceatur. Incognitum autem Veteribus fuiſſe concors eſt ferè omnium Botanicorum ſententia. Clariſs. tamen Prævotius, præcept. meus μακαρίτης, cujus piis manibus quicquid Rei Herbariæ novi acceptum de-
cap. 11. beo, Oſtriaginem Apuleji eſſe cenſebat: motus antiquo MSc. codice, quem apud Donatum Maurocenum, Senatorem eruditiſs. Venetiis vidiſſe aſſerebat, in quo talis legebatur deſcriptio. *Naſcitur Oſtriago circa monumenta, aut parietes, qui ſunt circa montium radices [foliis ſalicis, guſtum remordentibus]* concluſis ſcil. verbis ſupra vulgatas editiones exſuperantibus. Quæ deſcriptio ſi recipienda eſt, non parum Dracunculo noſtro congruere videtur. Hydropiperi tamen, me judice, magis conueniret.

PRA-

PRASIUM.

Torrida jam veniant & amari Prasia succi.
Splen tumet, & plenis renibus arcta via est,
Phlegma jecur pectusq; replet, reuocanda puellis
Menstrua sunt: hac, ne surda sit auris, amat.

plenis] i. e. obstructis renibus. succi enim amaritie,& abstergendi facultate non solùm renes,sed viscera omnia ab infarctu liberare potest. Quicquid Diosc. renes & vesicam lædere prodiderit.

ne surda sit auris] Valet quoq; ad inveteratos aurium dolores ejus succus instillatus, ex Diosc.

CARDUUS HORTENSIS.

Carduus Hortensis, cui spina est mollior arte,
Cui calor est modicus, cui tumidusq; liquor,
Et stomacho & lumbis sapidus: si ducit olentem
Urinam, os redolet, nec sapit ala caprum.
Hunc tibi jus præpingue coquat, præstantior inde est:
Ibit & in numeros sic venus apta suos.

cui spina est mollior] Carduis omnibus agrestis natura. Solent tamen culturâ crebrâq; translatione mitescere: spinisq; carituros scribit Palladius, si confractis cacuminibus semina terræ mandentur. *Mens. Mart. Tit. 9.*

tumidus liquor] Succus flatuosus: quo ad excitandam tentiginem apprime facit.

nec sapit ala caprum] Hircum, tragum, & caprum vocant axillarum graveolentiam, similitudine desumptâ à tetro & viroso odore, quem ab amore recens hircus spirat. Vitium autem hoc Carduus emendat expurgando per

urinæ vias vitioſos & olidos venarum humores. cujus rei indicium eſt, quòd Scolymum eſitantes fœtidiſſimum lotium reddere ſoleant. Joh. Baptiſta Porta id nobis plantæ quodam ſigno & charactere indigitâſſe naturâ more ſuo conatur oſtendere. Scolymus enim, cùm latis ſurgat alarum cavis inter caules, ramum, & frondes, axillarum quodammodo vallem cavitatem referre videtur.

Phytogn. l. 5. cap. 42.

ABROTONUM.

Abrotonum Siculis miſſum mihi nuper ab oris,
Cui calida & ſicci roris amarities,
Antidotum eſt ſtomacho, & contuſis nobile nervis:
Nunc valeo: obſtruſum cui femur illud edat.

lib. & cap. 21. *Siculis*] Laudatiſſimum Plinio eſt Abrotonum Siculum: quod peculiariter de Fœmina intelligi vult Dioſc. lib. 3. cap. 25.

lib. 6. Simpl. cap. proprio. *Antidotum ſtomacho*] Contrà Galenus apertiſſimis verbis Abrotonum ſtomacho admodum infeſtum ſcribit. redditq; rationem: quòd amarum ſit, & pauciſſimæ acerbitatis particeps. Docet autem amarum per ſe omnifariam ſtomacho adverſum eſſe: acerbum verò, auſterum, & adſtringens eidem gratum & amicum.

obſtruſum cui femur] Sive urinalium viarum obſtructionem intelligas, ſive virilium partium αἰδοίων, utroq; modo verum & genuinum ſenſum aſſequeris. Plinius urinæ anguſtiis Abrotonum auxiliari ſcribit. Item ejus ramulo pulvino ſubjecto venerem ſtimulari: efficaciſſimamq; eſſe herbam contra veneficia, quibus coitus inhibetur. Hinc opinor, Abrotoni nomen impoſitum nobili ſcorto, ex quo magnum Themiſtoclem ortum in Convivio Sapientum perhibet Athenæus: quia fortaſſis ob formæ venuſtatem,

loc. cit.

lib. 13. cap. 5.

ſtatem,

ſtatem, miraſq; meretriciæ artis illecebras frigidos & faſcinatos ſuſcitare, & ipſius Priami alutam tendere poſſe crederetur.

ABSINTHIUM.

Terribiles perdant ſiccata Abſinthia ſuccos,
His furere in ſtomachum docta caputq; meum.
Ni tamen hinc noceant, ſuavi mihi grata tepore
Et ſtomacho & tuſis provida poplitibus.
Hæc jecoris reſerant fibras, his renibus amplum
Curriculum: hinc ſiccus nec ſitibundus hydrops.
Et tineæ & rabidi fugiant Abſinthia vermes:
Tutari tunicas jam didicere meas.

His furere in ſtomachum] Conveniunt Medici ferè omnes Abſinthii ſuccum inſigne ventriculo nocumentum inferre. & propterea Gal. in dolore capitis ex ſtomacho *lib. 2. per loc. cap. 1.* ab ejus uſu abſtinendum monuit. Quare dicendum videtur, adſtrictionem illam, qua tantopere idem Gal. Abſinthium *lib. 6. Simpl. cap. de Abrotono.* ſtomacho gratum & utile prædicavit, ſubſtantiæ & corpori ipſius herbæ ineſſe: ſuccum verò nudam amaritiem omnis adſtrictionis expertem retinere.

jecoris reſerant fibras] Vix reperias medicamentum hepati magis idoneum Abſinthio præcipuè Pontico: quippe quo non ſolùm viſceris robur apprime fovetur, ſed etiam ab humorum bilioſorum infarctu mirificè expurgatur. adeo ut Theoph. & ex eo Plin. ſcribere non dubitaverint, pecora in Ponto, ubi ejus pabulo pingueſcunt, ſine felle reperiri. *Hiſt. Plant. lib. 9. cap. 18. Nat. Hiſt. lib. 27. cap. 7.*

tutari tunicas] Quamvis Abſinthium vermes ſtrenuè interficiat, & veſtimenta à tinearum noxis vindicet; & ipſum tamen aliquando verminare obſervavi. quod non

aliunde, quàm ex medulla, quæ dulcis percipitur, provenire existimandum est.

PIMPINELLA.

Vesicæ lapides si Pimpinella remollit,
Ignita est: jecori sana, lienq; tibi.

in Thesaur. sanit. Ne quis cum Durante Pimpinellam, de qua hìc sermo, cum Sanguisorba vulgo dicta confundat; notare oportet, hìc illam intelligi, quæ ab effectu Saxifraga nuncupatur. cujus cùm duæ vulgatiores sint species, Major, & Minor; utriusq; eadem facultas. Urinam namq; ciet, renum & vesicæ calculos dissolvit, & ob partium tenuitatem, ac abstergendi vim lienis jecorisq; obstructiones tollit. Quibus, tanquam admiratione dignum addere placuit, *cap. 1.* quod de Majori prodit Federicus Chrysogonus Jadertinus, Opusculo, quod Artificiosum modum curandi febres inscripsit, Illam scilicet à nutricibus, quæ lactis inopiam patiuntur, sinu gestatam lac sex horarum spatio tam dapsili proventu suppeditare; ut eam deponere cogantur, ne ob lactis copiam ubera nimis indurentur.

LUPULUS.

Si Lupulum oblectant antra & nemorosa salicta,
Hoc facit, ingrato sit satis ut Medico.
Frigidus hinc bilem calidumq; arcere cruorem
Est potis: hunc calida & febris anhela timet.
Gratia si magna est illi: tua noxia major
Est, Medice, hoc sanctum quòd male perdis olus.

Carolus Herbetus, Veronensis, eximius olim Botanicus, & amicus meus piâ memoriâ colendus, elegantissimum

de

de Lupuli laudibus Poëmation carmine hexametro composuit. quod utinam hæredes, ad quos preciosa ejus literaria supellex pervenit, publico bono aliquando evulgent. Conquerebatur & ipse cum Mesue & Fiera nostro, tantarum virium herbam à Medicorum vulgo neglgi, aut rarò revocari: quâ nempe solâ, tanquam alterâ Panaceâ morborum myriades expugnari possent.
nemorosa salicta] Ita Plinius à natali loco Lupum Salictarium vocavit. lib. 21. cap. 15.
frigidus] Radicum & florum odor manifestæ caliditatis index est. Turiones cùm plurimâ humiditate inconcoctâ abundent, temperatiores sunt. at ne ipsi quidem frigidi.

PORTULACA.

Cui rubor est ardens, dysenteriâq́; laborat,
Purpureus cura cui fluor est fluidus.
Cui nocuere ignes, frigentem hic Peplion herbam
Deligat: hac pluvio rore probanda venit.
Si sapis, illa tuas norit rarissima mensas:
Lumina cum stomacho contemerare potest.

Cui rubor est ardens] Ignem sacrum, seu erysipelas ex Diosc. interpretare.
frigentem Peplion] E' Plinii fonte emanavit error hic, qui silvestrem Portulacam cum Peplio, planta omnino diversa, confundit. Peplis enim seu Peplion è lactariarum genere, acerrimiq; saporis herba est. cujus usus, Hippocrati in purgationibus familiaris, nostrâ hac tempestate obsolevit. Deceptus videtur Plinius Dioscoridis verbis, qui Peplida silvestrem Portulacam nonnullis appellari ait, quamvis verba illa, οἱ δὲ ἀνδράχνην ἀγρίαν, in pervetusto MSc. cod. superiùs laudati Caroli Herbeti non legebantur. Id. & cap. 20.

lib. 4. cap. 150 *Lumina cum stomacho*] Diosc. tamen ophthalmicis medicamentis utiliter misceri, & stomachi æstum in acetariis sumptam juvare scribit.

FLOS SAMBUCI.

Flos venit hortensi candens ab olente Sabuco:
Hic odor, hic cibus est, mensa, decorq; tibi.
Non levis est stomacho, capiti sed amicior: hepar
Hunc amat, & frigens lumbus in obsoniis.

lib. 4. cap. 174. *olente sabuco*:] Folia enim odore grauia, Dioscoride autore.

mensa] Folia quippe olerum more, caules teneros mi-
cap. 175. tioris Sambuci in patinis coqui, ad pituitam bilemq; de-
lib. 24. cap. 8. trahendam tradit idem; aquam pariter Plinius: qui folia
Coll. lib. 7. cap. 27. mollissima ex oleo & sale edi scribit. Non tamen sæpius quam bis dandum aduertit Oribasius.

Non leuis] Ipsius namq; decoctum stomacho est inutile,
Meth. med. lib. 5. cap. 8. monente Plinio. quod Actuarius etiam notauit. Prima etiam germina cocta. folia pariter, vomitum excitant.

capiti] Succo tamen ipsius collectiones cerebri priuatimq; membranæ, quæ circa cerebrum est leniri infuso Plinius præcipit.

frigens lumbus] Peculiaris hæc autoris obseruatio. Calculo ceteroquin conferre deprehenditur. In quem usum aqua ex baccis sambuci cum vino aruisio destillatur.

SIUM.

Coena, paludosis quòd natum & crescat in undis,
Credideris gelido rore juvare Sium.
Falleris: exustum est: vesicam & menstrua solvit,
Saxaq; de lumbis pulverulenta trahit.

Mira-

Miraris? pluvio tantùm hoc depascitur imbre:
Quicquid ab æthereis est potis hausit aquis.

Non vulgi modò, sed doctiorum etiam quorundam fuit opinio, palustres & aquaticas plantas, tanquam elementi, in quo vivunt, naturam redolentes, frigidas omnes esse. Quæ quantum à veritate distet, inter plurimas docent, Ranunculi, Nasturtia, Hydropiper, &; de quo hic loquimur, Sion. Cujus facultates provocandi menstrua, ciendi urinas, frangendi renum calculos, caloris operationes esse, notissimum est. *Gal. lib. 2. Simplic.*

TRIBULUS.

Tribule in undosis si nate paludibus alges;
Cur tamen irata cornua frontis habes?
Secretas tutamur opes: sub cortice dulcis
Esca latet. dulce hoc nonnisi ab igne datur.
Et mihi ab æthereo numerosa potentia rore:
Me maris & cœli provida cura fovet.
Languentes vereor fauces: me mandere lumbus
Discupit, urina huic cùm nocuitve lapis.
Ex me mica juvat, gravidas sed contrahit alvos.
Me miserum! mortis dos mea causa mihi.

nocuitve lapis] Tribulus duplex est: Terrestris, & Aquaticus. Utriq; Diosc. frangendi lapidis vires tribuit. At Gal. Terrestri id privatim adscribit. quippe qui partium tenuitate in intimiorem lapidis substantiam faciliùs sese insinuare potest. In quorum confirmationem non semel audivi ab amplifs. Senatore Octaviano Bono, qui olim Byzantii pro Senatu Veneto Legatus fuit, Turcas hausto hujus succo calido renum calculos feliciter deturbare. *lib. 7. Simpl.*

gravidas sed contrahit alvos.] i. e. ventrem cohibet & adstrin-

lib.21.cap.10. adstringit. Plinius, Thraces, qui ad Strymonem habitant, Tribuli foliis equos saginare scribit: ipsos nucleo vivere, panem facientes prædulcem, sed qui ventrem contrahat.

E R U C A.

Ignita in venerem lentos eruca priapos
Excitat; & tremulis optima poplitibus.

lib.1. de Art. Amandi. Eruca, quam per antonomasiam Ovidius *Herbā Salacem* vocat, ad excitandam venerem decantatissima est. Hellespontiaco Deo propterea dicata erat, & prope ejus sacella seri consueverat. lib. 10. Sic enim Columella

Et quæ frugifero seritur vicina Priapo,
Excitet ut veneris tardos Eruca maritos.

C E P A.

Quid tibi cum Hippolyto Liber adversate paternis
Admonitis semper? culpa luenda tibi.
Crudele admissum hoc & detestabile munus,
Va misero, in lacrymas te rapit assiduas.
Cepa tibi est munus, caput inflatura lutoso
Igne & rore malo: jam spuere incipias.
Si stomacho obsequitur; clamosa assuescere discant
Ora siti: obtusum hinc corruat ingenium.
Vesica & Veneri si grata; hæmorrhois inde
Effluit. ô magni muneris antidotum!
I sine me in pœnas temerarie & improbe tantas.
Quàm vellem horridior quòd rubra missa foret.
At bene consultum est nobis. Tu rusticus oras
Munera: Cepa datur: saxeus exhibitor.

lib. 19.cap.6. *in lacrymas*] Cepæ odorem elegantissimè Plinius lacrymosum

mosum vocavit: quia admota oculis lacrymas movet. Inde Athenæo teste κρέμμυον Græcis dicitur: ὅτι κόρας μύομεν, *quoniam oculos claudimus*, dum admovetur. Cur autem lacrymas eliciat, docet Philosophus Sect. 20. Problem. 22. *Dipnos. lib. 9. cap. 1.*

stomacho obsequitur] Stomacho utilis, inquit Plinius, spiritûs agitatione: concitato scilicet, ut interpretatur doctiss. Dalechampius, ructu. Nam ructus ventriculi exercitatio est. *lib. 20. cap. 5.*

obtusum corruat ingenium] Idem sibi velle Auctorem puto, quod Diosc. Lethargicos nimirum fieri, qui adversis valetudinibus plus æquo eâ vescuntur. Lethargici enim sensus omnes obtusos, ac inertiâ & oblivione sepultos habent. *lib. 2. cap. 143.*

horridior] i. e. acrior. Sic Plinius: *rufa acrior quàm candida, sicca quàm viridis, & cruda quàm cocta.*

ASCALONIA.

Cœna mihi scitè est actum. Ascalonia tarde
Jejunis veniunt destituenda coquis.
Illos calfaciant, hebeti repleantq; liquore:
Utq; minùs noceant, illa recocta vorent.

Cepæ species & Ascalonia est, ab Ascalone Judeæ oppido, unde primùm advecta, sic denominata: eademq; , quæ reliquæ species, præstare potest. capiti tamen minùs noxia judicatur.

Hujus peculiarem naturam observavit Theoph. quòd sola à radice sterilis sit: nec ut cæteri bulbi, eâ parte proficere & propagari possit: sed mox edito caule & semine exinaniatur.

AD LIBRUM.

SÆpe, Liber, quòd te alloquar, admirabitur hospes:
Dic; licuit, Cœna hæc ne mea surda foret.

ALLIA.

SI quod Cœna sapis minimum est insulsa, quod optas
Horrida cum exustis Allia verticibus?
Hæc grave olent: capiti nec convenientia ocellis,
Pulmoni & raucæ sint licèt apta gulæ.
Hæc, ut noris, edas: quantas prorumpet in iras
Vesica, & venter depositurus onus.

grave olent] Multa à scriptoribus traduntur ad obtundendum gravem Alliorum odorem. Columella docet, Allia sata, cùm luna infra terram fuerit, & rursus sic recondita, neq; acerrimi saporis existere, neq; mandentium halitus inodorare. Restingui quoq; gravem eorum odorem liberali esu apii, aut beta radicibus tostis, aut fabâ crudâ alii prodiderunt.

nec convenientia ocellis.] Sanam quidem oculorum aciem lædit: at nimiâ humiditate hebetatam juvat; si verum scribit Simeon Sethi.

raucæ gulæ] Ad raucitatem extenuandam, & vocem claram reddendam, Allium magnopere commendatur. Quod caulis figurâ, vacuâ, inani, & laryngem quodammodo exprimente hominibus indicâsse naturam, Joh. Baptista Porta seriò contendit. *Phytogn. lib. 3 cap. 50.*

POR-

PORRUM.

TAbida cui curæ pulmonis membra, & anhelum
Pectus, eum Porri torrida Cœna vocet.
Cura mihi est stomachus, placidissima somnia, dentes,
Bis licet elixum non tamen illud edam.
Hoc colat ingratæ cui fœmina cura calendæ:
Quiq; nec adstrictis renibus esse velit.
Munera non tanti ventris pensantur, ut aluo
Postpositâ, irati tormina ventris amem.

placidissima somnia] Δυσόνειρον Dioscoridi Porrum dicitur. compertum est enim tumultuosos & ludibriis plenos *Hist. Nat.* somnos efficere. quicquid Plinius somno conferre dicat. *lib.20.cap.6.* *Bis licèt elixum*] Porrum, si bis elixum fuerit, succi pravitatem deponere multoq; minùs inflare asserit Gal. lib. 2. Alim. cap. ult. Auctor verò, ut ejus malitiam pleniùs exprimeret, illud à Cœna sua quantumvis elixum rejecit. *ingratæ cui fœmina cura calendæ:*] γυνὴ ἀκάθαρτος, ut So- *Dipnos. lib.3.* phistes ille ὀνοματοθήρας apud Athenæum loquebatur: *cap. 20.* Mulier scilicet cui suppressa sunt, aut illiberaliter fluunt menstrua: quibus ciendis, aliisq; muliebribus affectionibus aptissimum esse Porrum, Hipp. Diosc. Plin. aliiq; testantur.

RAPHANUS. ARMORACIA.

HInc eat, aut Raphanus postremo accumbat in orbe,
Mensa magis sapidâ si sit onusta dape.
In caput, & dentes, limosoq; igne in ocellos
Sævit: & hinc stomachus nauseat assiduè.
Morchio eum colat, & fungi cui cura, Nicander,
Quæq; amat æternas fœmina pulchra comas.

postremo accumbat in orbe,] Non levis est inter Diosc. & *lib.2.cap.105* Gal. de tempore comedendi Raphani controversia. Ille

enim primis epulis sumtum cibum suspendere, vomitumq; ciere ait: postremis verò, stomachum roborare, cibiq; juvare coctionem. Hic contrà, experientiâ doctus, eorum miratur & damnat consuetudinem: qui, ut ventriculi adjuvent concoctionem, Raphanum à cibo sumere consueverunt: quorum exemplum neminem unquam ait sine nocumento imitatum fuisse.

Aliment. l. 2. cap. 70.

in dentes sævit] Illos atterendo. Nam & ebora eo poliri scribit Plin.

Hist. Nat. lib. 19. cap. 5.

Morchio cum colat] Morchion Græcus Plinio teste loc. cit. peculiare de Raphano volumen edidit. Alii Marcionem nominant, qui Raphani laudes celebravit. Sed nec improbabile est, hujus quoq; nominis Auctorem id argumenti attigisse. Cùm Marcion quidam Smyrnæus, ut idem Plinius memorat, de Simpliciū effectibus scripserit.

lib. 28. cap. 4.

& fungi cui cura Nicander] Nicandri verba hæc sunt.

in Alexiph.

Ἀλλὰ ἢ ῥαφάνοιο πόροις σπειρώδεα κόρσην,
Ἢ ῥυτῆς κλώθοντα περὶ ὀπάδινα κελεύσας.

Quæ Anonymus sic vertit.

Tu contra Raphani sinuosum corpus, & acris
Concede excisum Rutæ de cespite ramum.

Ad quem locum Scholiastes pro ῥαφάνῳ Brassicam accipiendam esse notat. Δίδυ, inquit, τὸν καυλὸν, ἤτοι τὴν κεφαλὴν τῆς κράμβης, τουτέστι τὸν ἀσφάραγον. ἐπειδὴ ῥαφάνας τὴν κράμβην φασίν. εὔχρηστον γὰρ πρὸς ἀντιπάθειαν. *Exhibe caulem, seu cymam, ideſt, turionem Brassicæ. Quippe Raphanum Brassicam dicunt. utilis enim ex antipathia.* Fallitur tamen bonus vir, & dum nimium Atticus videri vult, in errorem non levem impingit. Non quòd negandū sit Veteres Atticos Brassicam ῥάφανον appellâsse. id enim Arist. inter alios his verbis apertè testatur. γίνονται δὲ αἱ καλούμεναι ψυχαὶ ἐκ τῶν καμπῶν. αἱ δὲ ἐκ τῶν φύλλων τῶν χλωρῶν, καὶ μάλιστα

μάλιστα ἐπὶ τῆς ῥαφάνυ, ἣν καλῦσί τινες κράμβlw. *nascuntur vocati papiliones ex erucis: hæ verò virentibus foliis, & potissimùm super Brassicâ, quam nonnulli Cramben vocant;* sed quòd luce clariùs constare arbitrer, Nicandrum hoc loco Raphanum, seu, ut Latinâ voce utar, Radiculam intellexisse. Ut enim mittam Plinium, qui hoc ipsum Nicandri testimonium de Raphano locutus adducit; cùm ille toto Theriacorum, & Alexipharmacorũ opere semel, quòd observaverim, Brassicæ meminerit, eam κράμβlw, non ῥάφανον vocat. Nam Taurini Sanguinis alexipharmaca recensens proponit.

Καὶ σπέρας κραμβῆεν ἄλις μεμορυγμένον ὄξει.

Quo loco si Brassicam Atticorum more ῥάφανον appellare consuevisset, æquè potuisset & citra carminis luxationem scribere ῥαφάνοιο, ac κραμβῆεν. Contrà verò alibi pro Radicula ῥαφάνυ nomen usurpavit. De Hyoscyamo enim agens *in Alexiph.*

Ἐνδέτε ναπήαν, ῥάφανόν δ' ἄλις, ἐνδέτε λεπτὰς
Ἄμμιγα κρομμύων γαθυλλίδας.

Quibus ferè ad verbum respondent, quæ adversus idem venenum proponit Diosc. ἁρμόζει δὲ κιχώριον, καὶ νάπυ, καὶ κάρδαμον, καὶ ῥάφανος, καὶ κρόμμυα, &c. At Dioscoridem Brassicam perpetuò κράμβlw, ut Radiculam ῥάφανον appellare, is novit, qui in ejus lectione mediocriter versatus est. Præterquàm quòd Brassicam, quamvis Antidotis misceri solitam, poprium esse & specificum Fungorum alexipharmacum, nullus Medicorum, quod viderim, si Plinium excipias, qui & ipse Græci nominis ambiguitate decipi potuit, unquam scripsit: Radiculam verò omnes. *lib. 20. cap. 9.*
Diosc. τοῖς ὑπὸ μυκήτων πνιγομένοις, *iis, qui à Fungis strangulantur*, auxiliari scribit. Galenus quoq; adversus malos Fungos ῥαφάνυς ὠμὰς, *Radicus crudas* copiosè dari *lib. 2. de Antid. cap. 7.*

 jubet.

jubet. ut omittam Celsum l. 5. c. 27. Scribonium Largum cap. 198. Avicennam lib. 4. Fen. 6. tract. 1. cap. 10. aliosq; plurimos, qui in dictorum confirmationem adduci possent.

lib. 2. de Morb. Mul. *Quæq. amat æterna fœmina pulchra comas*] Hipp. ad capillorum defluvia affrictum Raphanum commendat. Quod præstare potest expediendo cutis poros, & evocando fuligines.

INULA.

Fervida contusis superinducenda lacertis
Est Inula, in gelidis sedula torminibus.
Pectora, cor, lumbosq. fovet: si mansa cerebro
Est gravis, urinam non malè grata ciet.

Avic. lib. 2. tr. 2. cap. 240. *cerebro est gravis*] Solvit tamen hemicraniam pituitosam, si ejus decoctione perfundatur caput.

urinam ciet] Adeo valenter urinam provocat Inula; ut qui familiariter eâ utitur, *non indiget*, ut barbarus Avicennæ interpres loquitur, *ut mingat omni horâ.*

RAPA. NAPI.

Sunt calida, & rigido gaudentia frigore Rapa.
Humidus hinc ilii turgidulusq. liquor.
Gloria Nursinis: sitientes cedite Napi:
Educet ipse licèt vos Amiternus ager.
Cùm sapiant Veneri magis, hæc si crassa & obesa,
Cœna ea postremo lenta sub orbe ferat.

gaudentia frigore Rapa] Martialis imitatione in Xeniis.
Hæc tibi brumali gaudentia frigore Rapa
Quæ damus, in cœlis Romulus esse solet.

Gau-

Gaudere autem frigore dicuntur : quia, vt ait Theophrastus, frigoribus maximè dulcefcunt : augenturq; magnitudine admirabili. Tunc enim incrementum in radicem, non in folia vertitur. Auftrinis autem conftitutionibus celeriùs caulefcunt. *Hift. Plant. lib.7. cap.4.*

turgidus liquor] i. e. fuccus flatuofus, quo venerem ftimulat. propter inflationes autem Democritus ea in totum abdicavit in cibis. *Plin. lib. 20. cap. 3.*

Amiternus ager] Palma Amiterninis Napis olim fuit: quemadmodum Nurfinis Rapis : de quibus Plin. lib. 18. cap. 13. & lib. 19. cap. 5. & Martial. in Xeniis. Athenæus Thebana Rapa commendavit. *Dipnof. lib. 1. cap. 4*

PASTINACA. STAPHYLINUS.

SI venit humefcens culto Staphylinus ab horto,
Ferventi & fapido plena rubore fapit.
Ifta licèt ftomachum vel bis decocta laceffat,
Et coitum inflato rore fuperba ciat;
Si coquus & pipere & melliti munere mulfi
Condiat, & ftomacho grata erit & Veneri.
Candida nec montana placet. cui lumbus & arctum
Eft femur, Errantem, cùm magis urat, edat.

Staphylinus Paftinacæ tenuifoliæ, feu Dauci fpecies eft: cujus in radice varietas potiffimùm obfervatur : quæ vel lutea feu albicans eft : vel faturo colore rubet. Itali, & pleræq; Europæ nationes Carotam vocant : nomine non ita novitio, ut quidem exiftimant. Apicius enim libro κηπουρῶ cap. ult. Carotas præparare docet : & καρωτοῦ mentio fit apud Athenæum lib. 9. cap. 3 Quicquid ibi κάρον Cafaubonus legendum contendat. Nam quòd Græcorum aut Latinorum nemo, ut ille ait, præter Dioclem Ca-

rotum

rotum nominaverit, me judice, non convincit. neq; enim alius forsitan, si eundem excipias, Astaphylinum pro Staphylino dixit. imò verisimillimum, harum vocum, tanquam Diocli peculiarium, neq; ab alio usurpatarum studio meminisse Athenæum. Ac propterea mirabilis mihi visa est doctiss. viri & omnigenâ eruditione cultissimi Leonis Allatii conjectura: qui hunc Athenæi locum mutilum esse, & ita concipiendum arbitratur. τὸν δὲ σταφυλῖνον ὁ Διοκλῆς ἐν πρώτῳ ὑγιεινῶν ἀσταφύλινον καλεῖ· τὸ δὲ κάρτον καλούμενον καρωτόν. ita ut quemadmodum Diocles Staphylinum additione τοῦ α. ἀσταφύλινον vocauit: ita κάρτον communiter dictum καρωτὸν additione τοῦ α. Codex Palatinus, qui in Bibliotheca Vaticana nunc asservatur, neutram lectionem habet, sed κάρρων. monstrum planè.

lib. 6. Simpl. *Errantem*] Staphylinum silvestrem, quem Gal. ἄγριον cognominat, & Domestico in omnibus vehementiorem esse docet, rustici Patavini familiariter comedunt olerum more coctum. Cujus usu urinam reddunt copiosam, Violæ Martiæ odorem referentem: quemadmodum iis, qui Terebinthinam sumpserunt, evenire observamus.

T U B E R A.

Terrea ferte aqueoq; madentia Tubera rore
Alba: famescentes sint Nigra vestra, coqui.
Ultima sint nostra post pulmentaria Cœnæ;
Mixta sit in nostris ut Venus ipsa jocis.
Si turgent, æquum est: ventosa tonitrua & imbres
Hæc genuere: piper, Chiaq; vina bibam.
Sic faciles stomacho sunt adducentia chymos;
Nec vesica tumet, nec dolet iliacus.

Cui

Cui caput obtusum & triste est, mollesq; lacerti
Exeat: his tantùm Tubera Cœna negat.

Terrea] Terrea, sive quia crassum & melancholicum sanguinem gignant: sive quia, ut aliis placet, Tubera nil aliud, quàm terræ vitium sint. Terræ enim naturam in se globari eo argumento probat Plinius, quòd Lartio Lacinio mordenti Tuber deprehensus sit intus denarius, qui primos dentes inflecteret. *lib. 19. cap. 2.*

mixta Venus] Nobilissima Tubera circa Lampsacum nasci Plinius & Athenæus testantur. & rationi quidem consonum videbatur, libidinis hæc irritamenta ibi optima provenire, ubi Deorum salacissimus colebatur. *Dipnos. lib. 2. cap. 21.*

ventosa tonitrua] Johannes Ciampolus facetè admodum Tubera Sorores Zebedeorum appellabat, qui in Sacris literis filii tonitruum dicuntur. Jove enim tonante, cùmq; crebra decidunt fulmina magnum perhibent fieri Tuberum proventum. Quod iis verbis etiam expressit Juvenalis. *Marc. 3.* *Satyr. 5.*

& faciant optata Tonitrua cœnas
Majores.

Cur autem per eas cœli constitutiones potissimùm Tubera gignantur, hanc nonnulli assignant causam: quòd pluviæ cum tonitru & fulminibus decidentes calidiores sint. unde ab humido illo calore excitata materia, quæcunq; tandem ea sit, tuberosum illud corpus format.

Subesse autem Tubera cognoscuntur indicio, ut ait Athenæus, supernascentis plantæ, quam Hydnophyllon vocat. Ita enim è Pamphili Glossis. ὑδνόφυλλον ἡ φυομένη τῶν ὕδνων ὑπεράνω πόα, ἀφ᾽ ἧς τὸ ὕδνον γιγνώσκεται. Sic & Hesychius. ὑδνόφυλλον ἡ ἐπὶ τοῖς ὕδνοις φυομένη πόα. Quid verò de hujusmodi herba proferam non habeo. Consului quidem quotquot novi non solùm viros doctos & peritos *Dipnos. lib. 2. cap. 21.*

Bota-

Botanicos, ſed etiam vulgares homines, qui in effodiendis hujuſmodi radicibus ferè vitam conſumſerunt. qui omnes uno ore affirmârunt, ſe in inveniendis Tuberum locis nullius duci herbæ indicio, ſed ſoli tantùm qualitate arenosâ, ac terræ ſuperficie ruſeſcente, rimaſq; interdum agente, contrà quàm ſcribat Plinius: deinde ſuum ſagacitate uti. Imo nonnulli aſſeruerunt, iis locis, quibus ſubſunt Tubera, nullas omnino provenire herbas. Exhibet tamen Lugdunenſis Herbarii compilator Tuberariæ nomine plantam: quam ideo Hiſpanis Yerva Turmèra appellavit ait; quòd ubi ea naſcitur, copioſa Tubera reperiantur: eoq; argumento Veterum ὑδνόφυλλον eſſe opinatur. Quæ itidem de Ciſto annuo recenſet Carolus Cluſius. Quid Hiſpanico ſolo proprium ſit, ego quidem ignoro. Illud certò ſcio, herbas illas pluribus Italiæ locis creſcere, ubi nulla prorſus Tubera inveniuntur. Ita ut ſtatuendum ſit, aut eas non eſſe proprium, ſaltem quarto modo, latentium Tuberum indicium, aut nemini adhuc cognitum eſſe verum Hydnophyllum, aut deniq; fabuloſam & commentitiam eſſe plantam illam. Quòd enim Jul. Cæſ. Scaliger ſibi allatum ſcribit ex Moiraxi agro Tuber cum ſtipite & oblongo foliolo, ſi modò fidem meretur, haud verum & legitimum fuiſſe Tuber illud, ſed potiùs alterius generis ſtrumoſam & conſimilem radicem, omnino affirmaverim. Sed eſto, in efformando eo Tubere luſiſſe ac luxuriâſſe naturam: quid porrò ex inſolenti ac monſtroſo germine inferre velit doctiſs. quidam & magni nominis Vir, planè non video. præſertim cùm allati Auctores ὑδνόφυλλον non Tuberis folium eſſe prodant, ſed herbam τοῖς ὕδνοις ἐπιγινομένην, & ex putri ac halituoſo eorum vapore (ſi eos interpretari licet) quodammodo ſuccreſcentem. Vidi quoq; olim in vetuſtiſſimo

Hiſt. Rarior. lib. 1. cap. 49.

Exercit. 150. adv. Card.

mo ac in membranis picto Herbario Caroli Herbeti Veronensis parvam herbam, cujus imaginem ex eo ad unguem expressam hic damus, TUBERONIÆ epigraphe, à Tuberibus forsan deducto nomine. Plantam certè aut pessimè, ut rude illud seculum solebat, delineatam, aut in Gurgustidoniis campis requirendam.

Qui verò plura de Tuberibus legere cupit, adeat Alphonsum Ciccarellum Mevenatem, qui singulari libello hoc argumentum diligenter prosecutus est.

TUBERONIA.



AD COENAM.

Plura olera, & plures fructus, non omnia ferre,
Et pluri poteras esse referta dape,
Cœna: satis sunt hæc, modò sint condita: vorator
Quærat in externis turgidus esse thoris.

V RE-

Languidius pleno] πᾶν τὸ πολὺ, inquit Hipp. τῇ φύσει πολέμιον. & victûs extrema tenuitas, & extrema plenitudo periculi plena est, & bonæ valetudini valde noxia. Si tamen in alterutro victûs genere errandum est; satiùs fuerit in paulò pleniori, quàm tenuiori delinquere. Plenitudinis enim vitia facilè corriguntur inediâ, exercitio, alvi dejectione, aliisq; vacuationum generibus. At quæ ex tenuiori victu contingunt mala non ita facilè emendari possunt. Inediæ autem noxas breviter attingit Gal. lib. de venæ sect. advers. Erasistr.

SOMNUS.

Deficiunt vigiles sensus, hebetantur ocelli.
Tertia jam à sumpto præterit hora cibo.
Cæcuba præcipiunt somnos: caput annuit: ite
Convivæ, in solitos currite quisq; thoros.
Naturæ hìc bene fervet opus, bene concoquet hepar,
Venter & amplexu nobiliore cibum.
Lethæa est resupina quies: hinc omnia pallent
Membra, jecur, ren, nervi, ora, caput, stomachus.
Pronus quisq; cubet, dextrâ vel parte recumbat,
Mox lævi lateris commoda somnus amat.
Somne nihil sine te bene possumus: optime Somne,
Blanda ægris animis corporibusq; quies.

tertia præterit hora] Optimum & salutare præceptum circa somnum hisce verbis insinuat. quasi dicere velit: non debes statim à cibo te tradere somno, sed stare aliquantisper, aut molliter deambulare, quoad cibus in ventriculi fundum descendat, probaq; fiat ingestorum complexio. Iis enim qui à mensa illico dilabuntur in lectum, repletur insigniter vaporibus caput: cibusq; supernę ventriculi regione innatans ægerrimè concoquitur.

Lethæa est resupina quies] Pessimus est, omnino fugiendus est Supinus Decubitus : quia ruentibus ad posteriorem cerebri partem vaporibus epilepsiæ, tremori, nocturnis suppressionibus, aliisq; inumeris morbis occasionem præbere potest. In ægrotantibus etiam, quibus naturalis non est, malum portendere existimatur : præsertim si cruribus & cervice extensis fiat. Significat enim motricem feriari, nec posse corpus amplius vertere, victam ab ejus gravitate. Adde, quòd incalescentibus eo situ renibus & venâ cavâ pollutiones sæpissime contingere solent : quarum causâ ægros non rarò periclitari observatum est. *Pronus quisq; cubet*] Mirari satis nón possum, cur Pronum Decubitum tantopere commendet : qui & oculis impendiò noxius est, & ab hominum more ita alienus; ut inter centum vix unum reperias, qui naturaliter ita decumbat. Ego sanè, si quando hoc modo cubare expertus sum, spirituales partes adeo gravari mihi sensi, ut vix spiritum trahere potuerim : quod & aliis evenisse scio.

lib. 28. cap. 4. Ut propterea alucinatum crediderim Plinium, qui Pronum Decubitum tussibus conferre scribit. Nam licet pectus quodammodo fovere, crassosq; humores attenuare, adeoq; ad expectorationem faciles reddere videatur; expertus tamen fateberis, te difficiliùs extussire pronum, quàm in latus, aut rectâ cervice cubantem.

Fuchsius Instit. lib. 2. sect. 4. cap. 4. *dextrâ vel parte recumbat*] Nimis subtiliter philosophari videntur, qui Somnum incipiendum censent in dextrum latus, finiendum vero in sinistrum. Parum enim referre arbitror, in alterutram aurem pro consuetudine tua obdormias. Tanta quippe non est gulæ circa quintam (ut illi asserunt) thoracis vertebram in dextrum latus propensio, ut cibi descensum juvare possit. Æquè autem juvabitur coctio, si ventriculus jecori, ac si jecur ventriculo

incum-

incumbat. Sed audi Hipp. concinnam & convenientem Decubitûs formã elegantissimè delineantem hisce verbis: *Cubantem offendi ægrum à Medico oportet in latus dextrum aut sinistrum: ac manus, cervicem, & crura paululum reducta habentem, & totum corpus molliter positum. Ita enim pleriq; bene valentium cubant. At ita cubare, ut sani solent, saluberrimum est.* Prognost. lib. 1. tex. 13.

VIGILIA.

Surgite: ab Oceano rapidus jam surgit Eous.
Auroræ roseum jam jubar ecce rubet.
Jam vigilate graves. somno meroq; sepulti.
Septena in somnos est satis hora meos.
Longior obtundit cerebrum, torpedine corpus
Afficit: exacuet cùm Vigilata dies.
Sic calor internus revirescit, & aptiùs, omni
Sorditie ejectâ, membra vigore fovet.
Luce vigent operosæ artes: it miles in arma
Luce: gemunt fessi sub juga luce boves.
Delia non noctu venatur: nocte quiescunt
Pulpita: sed luce est docta Minerva vigil.
Luce minax Pallas. Vigilatæ quot bona lucis?
Corpora, Dii, Sensus, Ingenium, Arsq; vigent.

Septena in somnos est satis hora] Septem aut novem ad summum horarum spatio naturali somni tempus circumscribi solet. Tanto enim & vires instaurari, & coctionem absolvi experientia docuit. Quia tamen non idem omnibus dormiendi terminus præfiniendus est: *Qui bene concoxit, manè tutò surget: qui parum, quiescere debet: & si manè surgendi necessitas fuerit, redormire.* Coctionis autem signum ex urinæ colore habebis: quæ si aquæ speciem Celsus lib. 1. cap. 2. Gal. lib. 2. de Sanit. tuen. cap. 2.

ciem

ciem referat, crudum adhuc in venis contineri chylum: si verò rufa bilosaq; sit, jamdudum concoctum esse hujusmodi succum indicabit.

ANIMI ACCIDENTIA.

SI decet, & sancti rationem admittitis æqui,
Sancta manent oculos gaudia læta tuos.
Jam satur est venter, tumet hic, jacet ille supinus:
Jam properent risus: ira timorq́; abeant.
Nodosæ rerum causæ & sublimia cedant
Naturæ ingenia: hæc non capit iste locus.
Sensibus addicta est nunc mens: sub sensibus extant
Deliciæ: gaudent corda, jocosq́; parant.
Gaudia sectentur risus dulcesq́; cachinni,
Lusus, firma fides, spesq́; jocusq; salax
Lætitia & risus reparant me: gaudia servant
Incolumem: exanimant ira metusq́; graves.
Ridendum est, hilares Convivæ. amentia magna est,
Si sinimus celeres accelerare rogos.

Non minimam inter bonæ & adversæ valetudinis causas sibi partem vindicant Animi Perturbationes: quas in humana natura tantùm posse testatur Gal. ut multi præ sola lætitia morbos evaserint: multi etiam præ solo mœrore in eosdem inciderint. Quibus addas, Animi Pathemata, cùm modum excesserint, subitaneas mortes interdum attulisse: sive derepente dissipato vitali spiritu, ut in effuso gaudio, & vehementi ira: sive eodem compresso & conculcato, ut in magno timore & mœstitia. Horum exempla passim occurrunt apud Plinium, Valerium Maximum, aliosq; tum veterum tum recentiorum. Ut autem Perturbationes nostras componere & emendare possimus,

lib. de Parva Pila exerc. cap. 1.

nos

nos docet Gal. aureo verè ac philosopho digno libello, qui de cognoscendis curandisq. Animi Morbis inscribitur.

COITUS.

Maxima jam veniant Erycinæ gaudia: proles
Expectata diu est, huc Hymenæe veni.
Te sine vana hominum spes omnis: gaudeat hæres,
Cùm Veneri annueris: tu modo blande veni.
Per te nostra decens, & casta, & sancta voluptas,
Servor & incolumis, si modo parca venus.
Renibus extumidis hinc cura est: ira furorq.
Et metus omnis abest: hinc vigil audet amans.
Hinc validum est corpus, crescit calor intimus: hinc cor
Sidereumq. caput, si modo parca venus:
Hinc stomacho empta fames: pulsâ caligine sensus
Hinc valet: hinc bilis fœda perire solet.
Deliciæ hinc dulces, hinc est amor ille protervus,
Hinc Veneris puer est tamque cupitus Amor.
Sis modo castus Amor: Claudi si liquerit antrum
Mater, & est Marti dedita, culpa tua est.
Si lacer Hippolytus moritur, si proditur ingens
Ilium, & infausto sanguine mora rubent,
Si Puer Idæus summo sit cura Parenti,
Credidit hinc nocuos cùm minùs esse thoros,
Culpa tua est, fallis tua non satiata libido:
Pallet & hinc moritur, ni bene cautus, amans.
Evolat exsanguis subitus calor, ora, palatum,
Et malè olet stomachus, nec satis inde coquit.
Perditur, & misero nihil est quod prosit: abito
Improbe: velle mori, non Amor, imò Furor.

Servor

Servor & incolumis, si modò parca venus] Veneris usus non modò speciei propagandæ, sed tuendæ quoq; sanitati oppidò est necessarius. Neq; enim audiendi, qui nullum veneris usum salutarem esse contendunt, Epicuri potiùs, quàm rationis & experientiæ fidem secuti. Quippe constat moderatum Coitum & bonæ valetudini conferre, & morbos etiam nonnullos persanare. Quoniam verò Coitus pro ætatum ac temperamentorum diversitate moderatus & immoderatus censeri debet; Gal. universalem dat regulam, quæ unicuiq; temperamento, ætati, & individuo inservire poterit: si is modus adhibeatur, *ut neq; resolutio aliqua inde sequatur: sed se ipso homo quodammodo levior factus; ac meliùs spirare videatur.*

Art. Medic. cap. 86.

ira furorq;] Non rarò fiunt melancholica deliria, & furores è retento semine: quos veneris usus solvit.

ora, palatum malè olet] Congestis in ventriculo cruditatibus, & corruptis in eo cibis. Si quid enim ventriculi crasin enervare valet, id certè immodica venus est. ut rarò invenire sit hominem valde salacem, qui non idem sit κακοςόμαχος.

BALNEUM.

Balnea, ni corpus mundum est, haut intret, obesum
Et tumidum fieri si tibi forte velis.
Si modo sint munda & lymphæ tibi suaue tepentis
Utilia: in laxis noxia poplitibus.
Si gelida ingrederis, calor hinc internus abundat,
Musculus obdurat, nec tibi, nerve, noces.
Sulphureum aut salsum si sit tibi fortè, vel are,
Aut cinere, aut ferro concomitante, cave.
Consule prudentem Medicæ priùs Artis alumnum:
Et prodesse potest, & nocuisse solet.

ni cor-

ni corpus mundum] Balnea, ut ait Palladius, & voluptati plurimùm conferunt,& saluti. Usurpantur enim non solùm ad eluendas corporis sordes, sed etiam ad plurimas ægritudines tum sanandas, tum præcavendas. Cùm verò Balneum simpliciter dicimus, aquæ dulcis, & potissimùm calidæ seu tepentis intelligimus. unde Nicandri Scoliastes ἑψητὰ ὕδατα aquas coctas Balnea vocavit. Hujus autem præcipua facultas cùm sit attrahere ad ambitum corporis,patet non esse administrandum existentibus in ventriculo & primis viis humoribus. *Rei Rust. l. 1. cap. 40.* *Alexiph. ubi de Cerussa.*

laxis noxia poplitibus] Quia liquata calore Balnei excrementa in languidos & imbecilles artus facillimè ruunt.

Si gelida ingrederis] Post calidi Balnei usum frigidâ olim perfundebantur, quod inventum Plinius Antonio Musæ ejusq; fratri Euphorbio adscribit. Hac autem frigidâ lotione seu immersione laxatum corpus densatur, ab externis injuriis munitur, innatusq; calor in primis roboratur. *lib. 29. cap. 7.*

Sulphureum] Thermales omnes aquæ, quacunq; tandem minerâ constiterint, siccandi facultate plus minus præditæ sunt. Quocirca earum Balneum sano temperatoq; homini fugiendum. Siccando enim, corpus extenuare, & ad maciem paulatim ducere potest.

Consule prudentem] Tot quidem requiruntur in recta Balnei administratione cautiones; ut inconsulto perito Medico difficile sit non grauiter errare.

F R I C T I O.

SI rogitas citiùs pinguescere lote, sequatur
Balnea sitq; levi Frictio facta manu.
Sensibus illa favet: calor hinc viget omnis: aluntur
Effœta hinc meliùs membra: caputq; valet.

Quid non humanum ingenium sapit? ægra moveri
Corpora cùm nequeunt, Frictio prompta subest.

levi frictio facta manu] Satis fuerit pro rudioribus hìc monuisse, non omnis Frictionis easdem esse operationes: sed Lenem corporis habitum mollire & laxare, Duram densare & cogere, Mediocrem augere & carnosum reddere, Multum deniq; sanguinem absumendo eundem extenuare. Qui verò plura desiderat, Galenum legat lib. 2. de San. Tuen. capp. 3. & 4. ubi de Frictionibus exactissimè agit.

A E R.

Corpora jam in motus properant: purissimus Aër
Quæritur: hìc venti nec malus erret odor.
Lucidus exortum ad solem gratissimus: absint
Stagna, putresq; lacus, & malè quicquid olet.
Si Jove, vel tardo gelidus sit forsitan orbe,
Gratior est: nostra hinc membra caloróq; valent.
Si Venere aut Marte incaleant, lacera inde peribunt
Assiduè humanis pabula corporibus.
Undiq; diripimur. si spirant corda subintrat:
Hoc sine nil miseri corporis ora vorant.
Quas dabimus grates Aër tibi pessime? per te
Vivimus, & morimur: gratia nulla tibi.

Si Joue] Iupiter nempe ventos mouet Septentrionales frigidos & siccos, qui sereni sunt.

tardo orbe] Nimirum Saturni, qui planetarum inertissimus orbem suum non nisi triginta annorum spatio absoluit.

Venere] Hæc enim ventos ciet Meridionales, qui calidi humidissimiq; putredinis autores.

Marte] Hic ventos excitat occidentales, qui experientia teste sunt humidi ac tepidi. Mercurius ex se nullos producit, sed reliquorum planetarum, quibus jungitur, alios reddit efficaciores. De Planetarum in ventos dominio plura Cardanus in Text. 52. lib. 1. Quadripart. Ptolomæi.

MOTUS.

PÆonis assiduos ni forte requiritis haustus,
Pharmaca, vel pilulæ nobilis antidotum;
Surgite jam læti Convivæ. corpora torpent
Vestra: petunt motus tempora certa suos.
Relliquias saturo resecatæ à ventre supersunt:
Sedulus has solvet, cùm labor auctus erit.
Hic saliat. faciles alius decantet amores,
Cursitet iste, leves torqueat ille pilas.
Quadrupedi insideat spectabilis ille feroci,
Iste leves cervos, ille sequatur apros.
Sic agite in valido dum crescunt pectore vires:
Nec sinite à fesso ut corpore sudor eat.
Naturæ hinc calor invigilat, bene concoquit, omnes
Effugiunt sordes, & famis ardor adest.
Segnities torporq; abeunt: Medicina valebit:
Nominis est solo non mihi grata sono.

has solvet cùm labor auctus] οὐ δύναται ἐσθίων ἄνθρωπος ὑγιαίνειν, ἢν μὴ καὶ πονέῃ. *Non potest*, inquit Hipp. *homo, cùm comedat, bene valere, nisi & laboribus utatur.* Cùm enim in unaquaq; coctione quædam generentur excrementa, non facile est naturæ illa excernere, nisi Exercititii ope adjuvetur. Hinc videre est per inertiam saginata corpora excremẽtis scatere, & utplurimùm valetudinaria esse. Ut propterea rectè dixerit Celsus, Ignaviam hebetare corpus, *lib. de Diæta.* *lib. 1. cap. 2.*

corpus. Laborem firmare: illam maturam senectutem: hunc longam adolescentiam reddere.

leves pilas.] Parvæ pilæ Exercititium nobilitavit Galenus edito de eo peculiari & eleganti Libello: in quo omnia eius commoda & beneficia recenset.

bene concoquit] Non aliam coctionem, quàm quæ in venis ac singulis corporis partibus absolvitur, hìc accipere debemus. Primam enim quæ in ventriculo perficitur, tantum abest ut motus præsertim vehemens juvet, ut eam potiùs insigniter labefactet & corrumpat. Quippe cùm Exercitii præcipua vis, distributionem alimenti in corpus juvare, eo neutiquam utendum constat, cùm crudi incoctiq; cibi aut succi copia in ventriculo & vasis continetur. aliàs periculum imminet, ne, priusquam per maturam coctionem utiles evadant, in omnes corporis partes rapiantur. unde cacochymiæ omniumq; malorum fons uberrimus. Memini me in hanc rem legere, Fridericum Imperatorem experiri aliquando voluisse, Coctio meliùsne perficeretur Somno, an Motu. Iussisse autem duos fontes similis, quoad fieri potuit, ætatis & temperamenti benè pastos, alterum quidem dormire, alterum verò deambulare ac strenuè exerceri: deinde post aliquot horas utrumq; capite plecti & aperiri. in illius, qui dormierat, ventre cibi adhuc reliquias: in alterius verò, qui se exercuerat, nihil penitus repertumfuisse: indeq; judicâsse Imperatorem, Motum Coctioni magis conferre, quàm Somnum & Quietem. At quis non videt contrarium omnino statuendum esse? Cibi enim reliquiæ in illius ventre ideo repertæ, quia prope extremum Coctionis terminum devenerat: in hujus verò nihil, quia validi motûs ope cibus inconcoctus ad intestina & meseraicas venas descenderat.

Gal. de San. Tuen. lib. 2. cap. 2.

nec finite à fesso ut corpore sudor erat] Profusum & abundantem sudorem intellige. Nam Exercitationis finis, vt loc. cit. ait Celsus, debet esse sudor, aut certè lassitudo, quæ citra fatigationem fit. Cui adstipulatur Galenus, qui hominem exerceri consulit, donec sudor cum calido vapore mixtus manare cernitur. *lib. cit. cap. 12*

AD LIBRUM.

Quòd Venerem, Geniumq; colas, Cererisq; frequentes
Sacra, putas forsan vivere posse Liber?
Falleris: & fugiet ratio te vana: proterva est
Et Venus: hac novit perdere, & Ingluvies.

FINIS.

MARCI

MARCI AURELII SEVERINI

Ad Cl. D.

MICHAELEM RUPERTUM BESLERUM Archiatrum Norimbergensem

EPISTOLA

DE LAPIDE FUNGIFERO.



On injuriâ, quantum video, Cl. Michaël Ruperte Beslere, curiosa tuum incessit animum cupido noscendi, quæ natura sit Lapidis cujusdam, qui suâ quasi alvo fœcunda teneras & perennes, nec non edendo probatas edit cartilagineas & orbiculatas placentulas, quas Fungos appellamus. Scitum & insolentem naturæ lusum, miram & incomparabilem metamorphoseos speciem, quam neq; in suis memorandam reliquisset, si novisset, Ovidius: verùm inter primas & nobilissimas fortasse recensuisset. Nam quid illud est profectò, squalens & aridum corpus naturâ madidum germen educere, solidam & densam massam levem & raram, qualis certè Fungea est, substantiam expromere? item de fatua & inepta gleba gustu suavem & commodam escam efferri? Deniq; quid illud est, de informi montis cujusdam segmento conformatum in pilei modum prodire concrementum? Unde igitur

Prudens & digna Philosopho admiratio, & digna de lapide Fũgifero inquisitio.

Non indigna recitatu Fungea metamorphosis.

igitur, & quibus uenarum ductibus, quo motore, vel quo conformatore proveniant in dies nobis ante notata fœtabula? Hæc quippe singula citra nonnullam admirationem fieri notarive non possunt. Quapropter & nos, tuos amicos, qui circa Fungarios istos tractus versamur, Beslere sagacissime, qui pleraq; referremus, quæsivisti. *Scribendi ratio.* Nos verò Tibi pleraq; etiam, quæ comperimus, ea de re enunciabimus gratuitò. Utinam autem aut naturam hanc penetrare, aut exactæ tuæ intelligentiæ satisfacere parte, *Argumenti difficultas.* non dico equidem omni, sed plurimâ queamus. Veruntamen certum illud est, si quæ nostra est animi sagacitas, si quæ ingenii perspicacitas ad res novas & reconditas acriter investigandas, hanc nos pari cum promtitudine cunctam Beslero nostro exposituros. Nec mora igitur, age, dicamus ad hunc modum. Lapis, quem vulgo Fungiferum appellant, tam oppidò obscuram, tamq; retrusam naturam nactus est, ut ne etiam nomen unum apud omnes *πολυωνυμία.* retinuerit, aut uni tantùm generi relatum fuerit. Aliis nempe volentibus Lyncurium, aliis Electrum, aliis Tuber Fungarium, aliis Lapidem Fungiferum: quæ suo nomina loco mox explicabimus. Interim multorum opiniones, & varias de ipso sententias, exponemus. Primus prodi- *Silvatici pronunciatio.* to Matthæus Siluaticus, qui in Pandectis scripsit hæc: *Lapis Lyncis apud Evacem fit de urina Lupi Cervarii micta, in montibus coagulata: qui in domo servatus generat optimos Fungos supra toto quolibet anno. Valet contra dolores stomachi, icteritiam, & fluxus ventris.* *Hermolaus Barbarus.* Secundus accedito Hermolaus Barbarus, qui in Corollario super Dioscorid. 698. scripta reliquit hæc: *Oritur & è saxo i. e. lapide Lyncurio, sive Lyncæo vulgari voce dicto, Fungus admirabili naturâ. Præciditur hic in esum, & alius subnascitur anno toto. Pediculi pars relicta duratur*

duratur in silicem: atq; ita semper crescit lapis restibili fœcunditate: nec credidimus antequam domi natos ita manducavimus. Hermolaum secutus videtur & Andreas Cæsalpinus, Romanus professor, qui lib. 2. de Metallicis cap. 45. *Lapis*, ait, *Lyncis apud Evacem fit ex urina Lyncis, qui vulgo Lupus Cervarius vocatur. Hac micta in montibus coagulatur in lapidem, qui in domo servatus gignit optimos Fungos supra se toto anno. Valet contra dolorem stomachi, icteritiam, & fluxus ventris.* Dioscorides vanum putavit ex urina Lyncis Lyncurium appellatum fieri, sed Electrum esse. Cui consentire videtur Strabo lib. 4. Theophrastus tribuit Lyncurio Fungos ferre. Hodie Neapoli notissimus est lapis, qui domi asservatus, si irrigetur, Fungos fert toto anno: de quo Hermolaus explicavit. Ad hos omnes non præteribitur Julius Cæsar Scaliger, qui in lib. exotericarum Exercitationum de Subtilitate ad Cardanum, Exercit. 87. lemmate inscripto de Lapide Fungifero scripsit hæc: *privata lapidis natura inter admirabiles referenda. Is apud Romanos magno in precio est. Unum vidimus Neapoli, quo in Regno tradunt inveniri. Crustâ crassâ est: eâ terra dodrante opertâ, aspersâq; tepidâ irroratione quarto post die fungos edit.* Et Petrus Andreas Matthiolus in Comment. 78, lib. 4. Dioscor. scripsit hæc: *Neapoli inventi sunt Lapides, qui defossi, & in cellas vinarias translati, terrâ aliquantulum operti, & subinde aquâ tepidâ inspersi, intra quatriduum fungos non ingratos procreant. Nos Romæ & Neapoli vidimus.* Taceo quod & Philippus Ulstadius lib. de Sensibilibus cap. 33. paucis meminit, quòd Neapoli ex quodam Lapide fungi generentur. Ad nostræ gentis scriptores nunc venio, idest ad primum Janum Baptistam Portam μεγαλογραφῆ: qui cùm in Lib. 10. suæ Villæ discrevisset

Andreas Cæsalpinus.

Julius Cæsar Scalig.

Matthiolus.

Philippus Ulstadius.

Bapt. Porta.

visset genera Fungorum, tandem postremum ait: *è saxis nascitur: præciditur ad esum: alius subnascitur: sæpius novos producit restibili fæcunditate: septem diebus conficitur: sexies in anno demetitur: terræ dodrante operitur Neapolim afferuntur ex Vesuvio monte Lapides, Abellinum ex Partherico monte: in Apulia ex Gargano & altioribus montium partibus. Nam saxa, ubi semel produxisse vident, suffodiunt, & venum exportant. Nascuntur aliquando non pileati, sed turiones, ut asparagi, & in ramos divisi.* His Portæ decretis subscripsit

Carolus Clusius.

promptè Carolus Clusius in Opere Rariorum Plantarum, Tractatu, qui est de Fungis, authore illo Διὰ πάντων καὶ παντάπασιν vocato. Qui rursus Porta & Lapidi Fungiferi meminit in lib. 6. Phytognomonicōn cap. 26. dicens: *Fungus est in saxis nascens, ab aliquibus Lyncurius*

Fungi hujus petrigenæ mira vis lithotriba.

dictus, miro experimento frangendis calculis. Quippe umbrâ siccatus, contritus, potusq; jejuno cum urina veteri ita renes expurgat, ut nunquam in eis calculi regenerentur: frequenter à nobis usq; ad admirationem expertum. Portæ succedit proximus Ferrandus Imperatus,

Ferrandus Imperatus.

qui cap. 5. quod est *de Tuberibus Fungariis*, subdidit: *Sono li Tartuffi di cibo più duri, & più fibrosi, & nella grandezza molteplici: onde se ne veggono al peso di libre cento. Producono li Fonghi nella primavera, & nell'autunno. Da alcuni si tengono sotterrati, bagnandoli moderatamente per raccoglierne li Fonghi, percioche dall'humore soverchio s'ammarciscono.* Et cap. 6. quod est *de Fungis* pag. 73. eo proposito titulo, quod est *de Fungo Petræo* subnexuit hæc: *Il Fongo intiero, la cui testa dalla parte sottana hà partimento di colore impagliato, ottimo à cibo.*

Ex omnibus arbitris quis præferendus.

Ita quidem isti omnes. Quorum priores duo, Barbarus inquam & Cæsalpinus (porrò Silvaticum quid memorem?)

rem?) cum minore, quâm nostri, laude (verbo absit invidia) rem exegerunt. Nimirum loci productioris testatio quantum favit proximis; tantumdem longinquos absoluta rei notitia fefellisse potuit. Ferrandus enim Imperatus etsi verè scopum non attigit; non tamen longè abiit ab una rei natura. Nos igitur pleniorem interdum addemus demonstrationem, quam ætiologia ministret; si priùs tamen de Tuberibus Terræ concesseris ut dicamus. Horum admirabilis natura visa est Plinio lib. 19. cap. 2. tum quòd αὐτομάτως quidem, i.e. sponte ac sine semine nascantur: tum quòd nulla nedum radice vireant, sed neq; fibris aut capillamentis nixa, præterquam circundata, nec utiq; extuberante loco in quo gignuntur, aut rimas agente: neq; ipsa terræ cohærent. Cortice includuntur, ut planè nec terram esse possimus dicere, nec aliud quàm terræ callum. Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei etiam librali pondere. Crescant, anne vitium id terræ (neq; enim aliud intelligi potest) eâ protinus globetur magnitudine, qua futurum est; & vivantne, annon, haud facilè arbitror intelligi posse. Putrescendi enim ratio communis est iis cum ligno. Lartio licinio Prætorio viro, jura reddenti in Hispania, Carthagine paucis his annis scimus accidisse, mordenti Tuber, ut deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret. Quo manifestum erit terræ naturam in se globari: quod certum est ex iis, quæ nascuntur, & seri non possunt.

Testificatio potior proximorum incolarum.

Admiranda hypotheses Plinii.

Hæc quidem omnia Tuberum arcana Plinius non tam videtur ex natura interpretatus, quàm admiratus: ita nos intricavit potiùs, quàm extricavit, Tuberum genus, causas, ortum, naturam veriùs memorando, quàm enarrando. Utinam igitur in tanta creandæ rei caligine, in tanta τοῦ σώματος obscuritate lux aliqua affulserit nobis; ut satis cau-

Plinii perplexitas.

ſas deſcribere queamus. Deſcribemus autem hoc pacto.

Antiquorum & Homeri mythologia.

Porrò mihi rectè feciſſe videntur Antiqui, quorum primus Homerus eſt, qui voluerunt, grandem cœlitus à Jove & Superis adusq; terram admiſſam catenam, quæ rurſus ad ſuperiora reflectatur: per hoc indicantes ſpectabile regimen à ſuperioribus in inferiora, quorũ optimi ductus ad ſupernorũ proviſionem referantur. Nullam enim ſine cœleſtium illuſtratione fieri vel terris vel ſubtus procreationem poſſe certum eſt. Indeq; Ariſt. Lib. 1. Meteor. Cap. 2. pronunciavit, inferiorem hunc mundum contiguum debere ſuperiorum lationibus, ut inde omnis virtus gubernetur. Hunc aſtrorum & cœli cum inferioribus conſenſum neq; ſub terris latitans natura præteriit. Verùm admirabilis & ſuſpicienda eſt cum maximè συνδημιουργία in hanc ſedem: quæ conſtat ſanè fontium ſcatebris, metallorum theſauris, lapidibus multigenis, radicibus altè penetrantibus, beſtiolis ὀρυκτοῖς i. e. foſſilibus vocatis piſcibus, animalibus deniq; pluriformibus, & nullâ luce gaudentibus, ad ſummam creatis viventibus aut non viventibus corporibus variis. Inter quæ Tubera & Miſy hiſtoriæ noſtræ portio ſunt. Quibus Tuberibus privatim credidit antiquitas (inquit Marcellus Virgilius in Dioſcoridem) cognationem aliquam cum cœlo eſse: nec niſi tonante Jove naſci. Quod Satyrographus bellè notavit, dicens:

Miſy.

Tuberum ex cœlis hauſtus.

& facient optata tonitrua cœnas
Majores.

Quamquam tonitruorum haud eſt verè producere Tubera iſthæc, verùm cauſas productrices ſecum quaſi convehere, & convehi demonſtrare, ſi quiſpiam interim hæc rectè norit agnoſcere. Nimirum frequentibus nubium comploſionibus aëre plurimùm diffracto, deciduis affatim imbribus terrâ non irrigatâ quàm gravidatâ, (Plutarcho

Con-

Convival. 4.) variis ventorum flatibus internè externè mundo inferiore commoto, corporum humores spiritusq; omnes subinde cientur, ac nova rebus temperamenta indantur oportet, fiatq; ut singula gestiant in generationem. Quo non miremur, roris matutini lento guttatu gratiorem ac suaviorem herbam pecoribus adolescere. Magis miremur Iridis, alioquin θαυμαντιάδος suapte naturâ mirandæ conflexo in terras arcu jacentem omnem plagam divino quodam halitu compleri. Cui, sicut ait Virgilius, comparari suavitas nulla possit. Hac igitur, quam modò descripsimus, per tonitrua corruscantia, per imbres ingruentes, per flatus irruentes, per Jovem fulminantem factâ mundi quassatione, factâq; mutuâ caloris & frigoris collisione, non quati, & non commoveri undiq; terra non potest. Quæ verò intra terram sunt, itemq; novum sui modum motumq; concipiant necesse est: sic ut continuò modificatus humor genitali jam œstro excitetur, & spiritu vivifico occupetur. Est hic materiæ apparatus permagni quidem ad generationem momenti: verùm nonihil detrimenti patietur, nisi ad hunc omnem naturæ apparatum accedat à natura tantopere ætheris afflatus, ac Solis ἐγερτὶν radius. Cujus vis, ne vivam, exprimi si potest quàm plenè vivificet, vegetetq; omnia: præsertim cùm ad binas Zodiaci sedes & puncta, ut loquuntur, consederit: terrasq; de binis his quasi speculis prospexerit: quæ sunt videlicet Tauri & Libræ stationes. Quarum quæ Taurina longè potior est aptissima, mehercules, & splendidissima regio: qua consistens optimus Planeta terras fœcundat inexplicabilibus planè modis. Sed hoc tamen explicare nixus est ornatissimus Petrarcha per hoc suæ linguæ poëmation.

Admiranda Iridis cœlestis ἐπιφανία.

Marcel. Virg. dictum.

Dictorum complexio.

Solis accessus necessarius.

Solis stationes præstantissima.

Frãc. Petrarcha de Tuberib. professio.

Quan-

Quando il Pianeta, che distingue l'hore,
Ad albergar col Tauro si ritorna,
Cade virtù da l'infammate corna,
Che veste il Mondo di novel colore.
Et non pur quel, che s'apre à noi di fuore,
Le rive e i colli di fioretti adorna,
Ma dentro, dove giammai non s'aggiorna
Gravido fà di se il terrestre humore:
Onde tal frutto & simile si colga.
Così costei che tra le donne è un sole
In me movendo de' begli occhi i rai,
Cria d'amor pensieri, atti, e parole:
Ma come ch'ella li governa e volga,
Primavera per me pur non è mai.

Egregiè quidem Tuscus Poëta. Qui tamen utinam adjecisset pleraq; nobiliorem effectorem indicantia, cujus fortassis notitia desideratur; magno nos certè labore levasset, atq; operæ precium quoq; maximum fecisset. Verùm quia cunctas naturæ subtilitates plenè non exequuntur Poëtæ, nisi se physicos, ut Empedocles & Lucretius, ex toto profiteantur, quemadmodum Vida & Castelvetrus nobis aperuerunt in Poëticis; propterea nos, quibus sua & constituta hæc est professio, profundiore hac & tota causarum dissertatione non abstinebimus, sed illam exordiemur. Missis nonnullorum opinionibus, quæ referuntur ab Alphonso Ciccarello Mævenate Libro *de Tuberibus* Cap. 5. primùm cum Hieronymo Cardano, qui in operis Subtilitate Julio Cæsare Scaligero interprete in Exercit. 180. visus est censuisse è nivibus à calore putrido colliquatis secerni terrenum humidum, quo Tubera progignantur. Quamquam hæc meo quidem judicio haud Cardani fuit opinio: verùm huic adscripta.

Poetarum in physicis mutila ἑρμηνεία.

De causis Tuberum Scaligeri professio.

Ad-

Adſcripſit, inquam, hanc Scaliger neſcio quo animi furore inſtigatus ac juratus adverſarius generationem Tuberis Cardano, qui neq; per ſomnium, Juppiter, iſthanc rem novit. Injuria autem ſic liquidò & contumelia ſic iniquè inuſta eſt Cardano, ut à bono quocunq; viro & æquitatis ſtudioſo non videatur ſuſtinenda. Et eo ampliùs, quòd cum ironia & improbis dicteriis commiſſa eſt injuſta animadverſio. Noſtrum igitur eſto, Beſlere, re ut expenſâ πολυμαθῆ τὸν ἄνδρα vindicemus: qui Lib. 9. Subtilitatum hæc propoſuit conceptis ſuis verbis: *Putredo etiam, ut dixi, omnis calida eſt: ob id Tubera naſcentia nives in directo ſuperſtantes colliquant. Calor enim putridus, dum terreum quoddam humidum ſecernit, radices gignit ſine germine, quæ Tubera vocatur. Contrariâ ratione, cùm frigidam & humidam tenuemq; materiam concoquit, germina ſine radicibus emittit, quæ Fungos vocamus.* Hæc ille. In quorum ambitu omni vides ſubtilium ſcriptorem nihil meminiſſe generationis Tuberum; verùm attigiſſe ſolùm partim propriam putredinis naturam, quæ eſt calida, atq; halitu caloris putridi diſſolvit nives incumbentes, partim philoſophatum de diorasi inter bulbum Tuberis & umbellam Fungi. Tubera verò tantum abeſt ut in ſe ipſa nivium recipiant actum Cardano; ut hæc ipſa ſint, quæ nives commoveant & diſſolvant. Hæc quidem apertis verbis & illuſtri oratione complexus eſt Cardanus. Ad certitudinem autem & integritatem ſermonis quid quæſo deſiderabitur, quando difficilis interpretator ambigua hæc verba & incommodam dixit orationem? Item quæſo quid ironicè ſubſannatum? quòd acutè conſtituerit Cardanus cum natura, ut ex craſſa materia radicem, & minus craſſa minùs item craſſum videlicet ſtipitem procreârit? Tertiò, quæſo ſubtilem Æſtimatorem eo quo Cardani verbo

Cardano per Scaligerum impoſita injuria.

Ab improborum contumelia vindicandi viri innocentes.

Cardani propoſitio expenſa.

Vacuus a Scaligeri calumniis Cardanus.

Ironia Scaligeri caſſa.

bo è liquefactis nivibus fieri Tubera primùm intellexit? Imò nos primùm per Scaligerum è liquatis nivibus fieri Tubera intelleximus. Ex Cardano ego Severinus, & Alphonsus Ciccarellus, scriptor Tuberum primus capp. 5. & 10. facilè intelligimus, caloris putridi halitibus fieri, ut nives dissolvantur, & parùm diu cohæreant, ubi Tubera considerunt. *Nimirum*, inquit idem Ciccarellus eodem cap. 10. sub finem: *ova cruda, posita per diem naturalem inter Tubera, adeo eorum odore saporifico imbuuntur, ut vix comedi possint. Et hoc profluit ex eorum calida temperatura, ex qua effumat vapor ille calidus, qui propter ejus partes tenues & calidas ova penetrat &c.* Ubi verò Scaliger argumentatur, quòd frigore nihil ineptius ad generationem: & deinde, quòd in Hispania, ubi rarissima ac minima frigora, in Aphrica, ubi nullum frigus, nullæ nives, plurima, maxima, optima Tubera generantur; ubi, inquam, hæc objectat? cum umbris & cum sua phantasia videtur maximus homo colluctari. Cum umbris quoq; colluctatur i. e. vaniloquè & supervacuè argumentatur, memorans Plinium haud ex nivibus, sed imbribus ac tonitibus dixisse Tuberum proventum uberiorem. Candidus autem si velit esse Scaliger & ingenuus, qualis ut sit, virum generosum decet; non accipiet, ut sonant, Cardani verba: quibus propositum est, sine radicibus stipites oriri Fungorum. Nimirum sine radice corpori proportione respondente voluit nasci Fungos, non sine omni radice. Porrò si semine Fungi gaudent, ut eruditissimus Porta demonstrauit, & radicis quoq; non erunt expertes: & non expertes profectò perhibet Cardanus. At Cardanomastix, qui verborum ambiguitatem & inconditam orationem accusavit in æmulo suo, videat, oro, quàm ambigua sint verba, quàm incondita oratio sua, qui dixit:

Experimentũ Ciccarelli.

Cum umbris Scaliger colluctatur.

Cardani verba minùs cãdidè Scaligero accepta.

Radices Fungis non ex toto abnegata Cardano.

Fungi

Fungi verò vel ſine radice videntur, vel etiam ſunt, niſi vetuſtiſſimi. Quantæ enim in his paucis ambages, quàm multa obſcuritas, nemo non agnoſcit. Quoniam verò neq; perſpicitur hìc Scaligeri conſilium aut ſenſus, nec quò verba dirigantur, aut quid tum omnis oratio tum hujus particulæ conficiant, hanc ego rem in ſilentio tranſigam, imò cætera multa. Nam nolim equidem Scaligeri cenſor videri, qui Cardani cenſor ita efflictim gavisus eſt eſſe. Illud tamen hìc adnotare velim & monuerim hoc exemplo, ut viderint edocti omnes, Subtilitatum Subtilis accuſator ne qualis in hac una re fuit, talis & in cæteris ſe geſſerit omnibus pleriſq;. Sed nos ad inſtitutum ſermonem noſtrum redeamus.

Crimine ab uno ſuſpectus Scaliger & aliorum multorum.

Monſtratum à nobis eſt in Libro de Viperæ Natura, Veneno, Medicina, qui *Vipera Pythia* inſcriptus eſt, ſpiritum fermentatorem ſummo conditoris conſilio & providentiâ, totâ rerum, quæ ſub luna eſt, univerſitate diffuſum, Mercurio relatum Hermeticorum θαυματουργὸν, omniſabrum, incrementi largitorem, perfectorem, conſervatorem, amplificatorem: nempe penetrandi vi, agendi celeritate & vehementiâ, functionum varietate præſtabilem medium aut ambiguum inter primas energeticas qualitates, & harum compotem utrarumq; caloris decantati vires longè exuberantem, αὐτοκίνητον καὶ ἐνεργοῦντα ſui cujuſq; receptaculi: cujus ſpiritûs præcipuum eſt inquiete donati perpetuâ hanc aliis implacidè excitare, neq; cuiquam ἀθορύβως καὶ ἀπραγμόνως adſtare: ob id acoris aſſidui inſtructum miniſterio: quod facultatis & dignitatis eſt argumentum, non putredinis derivamentum. Hujus omnem ſummam & rationem fusè expoſuit Petrus Caſtellus, amicus noſter, & Naturæ conſultus maximus in 4. & 5. ſuarum *Epiſtolarum* Tomi primi. Neq; enim hoc loco nos ſpiritus παντοκράτορος plenam

Spiritus fermentatoris vis ſumma.

Spiritus fermentatoris proprietas præclara.

& amplam demonstrationem describere vel necessum est, vel epistolæ breve præscriptum permittit. Dicam tantummodo de suo circa Tuber ergastirio. Spiritus hic cœlo demissus, & tenuitate suâ sub terras transmissus, in humentem pinguemq; terræ portionem insinuatus per acorem, qui comes suus & minister est, rapit ab arenti terræ portione, in unum cogit & contrahit abreptum per fermentum suum quoddam in globum à Plinio notatum conformat, spirituq; afflatum suo vivam & vegetam reddit in eam, quæ Tuberis visitur, formam. Conceptam benè sententiam nescio verbis expresserim aut explicârim. Tantùm illud mihi persuasum est, indicatâ hac ratione facilè & omnem Plinio admirandi causam ademtam, & singulis admirationis suæ capitibus satisfactum iri. Primùm enim spontaneus exortus nihil mentem angit: quando non per se Tuber, sed altissimi satoris ministerio prodit in lucem. Seminis autem necessitas nulla est, defectum hunc supplentibus ejus viribus, satore τῷ κινέῳ per Hippocratem Lib. de Flatib. vocato. Quamquam & his inesse semen prodit Jo. Bapt. Porta Lib. 6. Phytognomonicæ cap. 2. per hæc: *è Fungis semen perbelle collegimus exiguum & nigrum in oblongis præsepiolis vel liris latens, è pediculo ad piles circumferentiam protensis: & præcipuè ex illis, qui è saxo proveniunt: ubi decidente semine perenni feracitate seritur, & pullulat.* Falsò igitur Porphyrius Deorum filios Fungos & Tubera dixit, quòd sine semine provenirent. Sic in Tuberum corticibus, ut in cupressi pilulis, nigrum etiam latet semen. ob id in silvis, ubi sæpius prodierint & computruerint, semper proveniunt, & locis ubi corticum lotura vel cortices projiciuntur sæpe nata vidimus. Nec desunt ex antiquis, qui sementiciâ origine nasci crediderunt. Sed non operæ precium duximus omnia prosequi.

Acor assiduus spiritui ζυμωδῆ.

Satisfit unicè Plinio nostra via.

Fungis semina esse compertum Porta: item τῷ ἐμπιτρομυνῆτι.

Fungi malè Deorum filii.

sequi. Quapropter consultò omittimus, cùm præsertim in memoria nunc alia non habeamus. Aliter quoq; responderis cum Athenæo Deipnosophistan Lib. 2. quo de Tuberibus disserente, *Sunt*, inquit, *qui è semine ortûs sui principium habere opinentur*: deinde subdit: *in Mitylenæorum quidem littore non antea gigni memorant, quàm imbre copioso semen deferatur à Tiaris: loci id nomen, in quo multa generantur*. Athenæum verò sequutus Hieronymus Cardanus lib. 2. de San. tuen. cap. 43. *Tuber*, ait, *in aliquibus regionibus, veluti Mitylenis, etiam seritur, & irrigatur: ut non dubium sit illa augeri. Terra enim extuberat, sciditurq; ut quidam dicunt*. At neq; radix ulla desiderabitur viventi, cujus tota substantia radix est, Joanne Costæo testante Lib. 1. de Univers. Stirp. Nat. cap. 10. sicut Fungorum una superficies spectatur. Quid, quòd crassitudine ac pinguitudine suâ vivit in annum, tantùm si in udo matris suæ sinu foveatur & conservetur nativo? Sic quod terræ cohæreat alendo necessum non fuit: quemadmodũ neq; etiam necessum est herbę Aloës, Scillæ, Pancratio, & aliis plerisq; stirpibus, etiam extra foventis terræ complexum viventibus. Quid, quòd neq; exploratè contenderit quispiam, neq; certò negaverit radices omnes fungifero. Quandoquidem & bre viculæ radices ac fibræ nonnullæ capillares dependentes à corpore isthoc extant, si rectè adverteris. At neq; aliter fieri potest: si quidem hæc terræ germina vivere demus. Quî vivant enim, è terra nisi trahant? aut quî sine radicibus ullis aut harum fibris trahant? Quam & Cardanus attigit rationem lib. 2. de San. tuen. cap. 45. *Nascuntur*, inquit de Fungis agens, *sepultis lapidibus quibusdam latis mensarum modo, quos in Samnitico agro inveniunt, quatuor digitorum altitudine sub terra: inde aquâ inspersâ intra*

Ex Athenæo producta ratio nostra.

Tuberis substantia tota radix.

Auxesis ad confirmationem.

quatuor dies abundant in nemoribus, & celerem ortum habent. calore enim indigent ficciore. ob id lapides illos exust quippiam habere convenit. Praeceps enim Fungorum generatio, ac quasi absq; radice. nihil enim sine ea. Si enim alimentum trahit, si vivat, aut augetur: etiamsi non vivat, à terra trahit. Oportet autem id, quod trahit, & à quo trahit conjunctum esse. Pars autem quæ jungitur, radix est. Hæc Cardanus. Per quod validum argumentum apparet, minùs rectè sensisse Plinium, quòd nullâ nedum radice, sed neq; fibris aut capillamentis nitantur hæc prægnantis terræ foetabula. Non extuberat, nec rimas agit locus, in quo gignuntur, quia suavior est hæc Tuberis concretio atq; eductio per divinam opificis manum, quàm ut aut verrucas terram recipere, aut disrumpi lateribus oportuerit. Quamquam & hiare terram, qua sub concreta Tubera fuerint, observatorum pleriq; testantur, & Imperatus. Quod ad extremum corporis habitum: laxa non fuerunt, cortice vel friabili, ut terrestris omnino portio viderentur. Siquidem transmutatâ per vim fermentatoris maximi terrâ callo quodam sunt obducta; quòd omnium naturâ constantium commune sit duriore integi tegmine ad sui αὐτοπάθειαν & conservationem. Credidit Plinius Tubera *terræ vitium*: quod *Strumam* interpretatus videtur Marcellus Virgilius; *Terræ* dixit *Lepram* Georgius Pictorius in 3. de San. tuen. Dialogo. Sed nihilominus mihi magna videtur rei dignitas & perfectio: quæ ἐντελέχεια spiritûs ζημιώδης vi visitur. Sic aliud quàm vitium, quod opinabatur Plinius, Virgilius, & Pictorius, intelligi potest. Falsum ergo, quòd communi cum ligno putrescentis materiæ facessat in Tuber. Quippe cùm morbus ligneæ parti marcor is sit; est perfectio & nova Tuberis dignitas formari raptim in eam formam & rationem,

Rimas & verrucas qui non commoveant Tubera terra.

De cortice philosophatio.

Terra Vitium Tubera non sunt.

Tuberib. non qui Lignorum communis est marcor.

nem,quā dixi,plus quàm Dędaleâ ſpiritûs architectatione.

Vivant, an non vivant, quærit ambigitq; Plinius. Sed nos vegetalem vitalemq; ſine controverſiæ metu ſentimus: ad annum tamen ævum ejus omne conſtitutum eſt, tum ex ipſo Plinio,tum ex Athenæo. Ariſtoteles etiam lib. 2. de Plant. cap. 1. & lib. 4. de Part. animal. cap. 5. Theoph. lib. 8. de Hiſt. Plant. capp. 1. & 9. Dioſc. lib. 2. Medicæ Mater. cap. 139. & lib. 4. cap. 78. & Gal. lib. 8. Simpl. Tubera in Stirpium genere cenſuerunt. Quod etiam oſtenditur, quia quæ per ſeſe augeſcunt atq; excreſcunt, hæc vivere ſunt comparata: atqui Tubera per ſeſe, i. e. accreto converſoq; in ſui naturam alimento, quaqua velis dimenſa, excreſcunt. Præterea, Baptiſta Porta authore, Tubera emittunt ex ſe turiones, quales aſparagi ſunt. Scaliger verò teſtis eſt de Tubere cum unico folio: quod oſtentare potuit pleriſq; omnibus in muſeo aſſervatum ſuo. Deniq; quemadmodum Spongiæ marinæ poſt animantis non commeritam abſolutam vivendi rationem ſuâ non carent vitâ; ad eum fermè modum Tubera poſt legitimas plantas neq; ipſa deſiderant plantarum vitam.

Vegetale Tuber eſt extra cõtroverſiam.

Protinus globetur eâ magnitudine, qua futurum eſt, difficile non videtur ſpectanti vires cumulatiſſimas & actionem citiſſimam valentiſſimamq; ſpiritûs effectoris, qui maſſam omnem uno ſimul actu fermentando, & abſtrahere materiam, & conglobare, & incremento ſuo ſtatim donare, & obducere, & perficere ſimul ſemelq; valet. Quo fit, ut non miremur ſexaginta uſq; libras pependiſſe Tubera. Lartio Licinio Prætorio viro, ut Plinius lib. 19. cap. 2. refert; mordenti Tuber, deprehenſus ſub dentibus eſt denarius. Ferrando vero Imperato lapilli concreti ſunt obſervati: ea de cauſa eoq; principio,

Moles Tuberum non adeo miranda, ſi vim effectricem ſpiritus ζυμώδους ſpectes.

Concreta ùt ἑτερογενῆ cũ Tuberibus corpora.

cipio, quòd spiritus fermentator per festinationem, & cœco interdum consilio agens, fermentando simul materias abripuit, atq; adeo heterogeneam radicem fecit. Ita admirationem omnem, si æquo animo ferat, exhausimus Plinio: ita quæ Tuberum sit procreatio naturaq; omnis brevi per cunctas fermè causas ostendimus. Sublatiore autem aliquanto ratione quasi sensui propinquiorem definitionem requiras: hac nulla melior, quàm quæ producta est à Cl. Fortunio Liceto, Philosopho tempestatis nostræ sūmo lib. 3. de Sponte nascentib. capp. 3. 4. 5. eo maximè legenda, quòd mōstrat acutissimè syngeneam & univocam hanc procreationem esse. Præstat nunc Tuberosi corporis partitiones & observationes, quæ nobis extant, expromere. Primùm autem à Ferdinando Ponzetto Cardinali Lib. 2. de Venenis cap. 23. prodita sunt hæc. Tubera similiter vocata tantùm ea, quæ sunt veluti radices absq; stipite; distinguuntur à prædictis Fungis colore, figura, & modo substantiæ: nec sunt adeo frigida & humida: & meliora habent medullam solidam & altam, & nascuntur in locis solitis producere incolumia, & præcipuè arenosis. Quæ verò habent medullam tendentem ad opacitatem sunt humidiora.

Discreta Fungis Tubera. *Optima.* *Locus proprius.*

Interim amicus quidam meus, cui Mutio Caponesco nomen, Asclepiada Samnîs, has mihi suas Tuberum observationes fecit communes. Proveniunt, inquit, in Samnio prope Nursiæ civitatem atq; etiam aliis ejusdem agri locis petrosis & montosis terna genera Tuberum, quæ vulgo *Tartuffi* dicuntur. Alia quidem istorum sunt globosa, inæqualia: externè coloris nigri, cum cortice prope membraneo, quibusdam distincta ductibus exilium venularum, internè verò subrussi; gustu suaviora, quàm reliqua. Alia sunt etiamnum globosa, sed non ut priora, sic

Tuberum genera terna. *I.* *II.*

inæqua-

inæqualia, cortice donata coloris inter album & nigrum medii: intrinſecùs autem totâ ſui ſubſtantiâ ſunt alba: quæ quidem edendo ſunt, licèt non ita ſuavia guſtu. Plurimùm autem reperiuntur in vineis, tranſplantanda ceparum alliorumq; modo. Alia deniq; naſcuntur in campis, ambitu minora, ouorum non excedentia magnitudinem columbinorum, munita per interiorem faciem amiculo nigro: ſubſtantiâ internè candidâ, quæ cocta igne redditur opacior, & fuſcidula. eſt autem his externa facies æqualis figuræ ovi: gratiſſimus ſapor: neq; deeſt radicula, qua ſuccum è terra trahant ſuum. His educitur & ſuo tempore quidam flos ſambucino ſimilis. Dulcis hic triplex eſt pactus ſuibus, roſtro ſagaci perpetim hæc hinc inde quæritantibus. Hæc de Tuberibus noſtratibus brevi Caponeſco relatore. *III.*

Verùm aliter Alphonſo Ciccarello Lib. de Tuberib. cap. 4. Tuberum genera deſcribuntur quaterna. Nam aliqua ſunt ſubruffa, nigro cortice, guſtu injucunda. Alia ſunt candida, nigro cortice, & inſipida. Tertia ſunt cinerea, nigro cortice, & aliis ſapidiora. Et alia ſunt nigra, cortice item nigro, & criſpo, aromatica, ſapore dulci, & admodum ſapido, cæteris præſtantiora: quæ magnatibus maximopere in cœnis expetuntur. Hæc primò Mævenas auctor: qui mox, quaſi ſe correcto, profeſſus eſt vnum Tuberum eſſe genus: quod ſic placitum Dioſcoridi, Galeno, Oribaſio, Aëtio, Paulo, Ruſo, Aretæo, Razæ, Avicennæ, atq; aliis.

Tubera Ciccarello quaterna.

Cæterùm à Jacobo Veckero in Medica Syntaxi ætiologicè collectæ ſunt hæ Tuberum notiones

Iacob. Veckerus de Tuberib.

1. *Frigida ſunt & inſipida.*
2. *Aqueum præſtant alimentum: craſsius autem quàm Cucurbita.*

3. *Sunt*

3. *Sunt succi boni Galeno.*
4. *Melancolici succi Avicennæ.*
5. *Facilè corrumpuntur in ventriculo.*
6. *Ægrè concoquuntur.*
7. *Colicam pariunt.*
8. *Venerem excitant.*

Tubera eduntur elixa in aqua & sale brevi tempore: deinde abjectâ aquâ priore rursus in aliam calidam translata, additis oleo, butyroue, pipere, Zinzibere, & pauco aceto. Nec alia de his iste. Multo plura Ciccarellus in suo de Tuberibus Opusculo capp. 8. 10. 12. 13. 14. atq; aliis. Tradidit & de Tuberum natura, & præparatione gallice des Ruffes; sed falsò de Tribulis inscripto cap. 10. lib. 5. de alimentis Jac. Fontanus hisce verbis: *Albis præferuntur nigri, si magni sint, inæqualem habent corticem, & durum, sintq; recentes, & naturalis odoris adhuc participes. calidi sunt, & humidi in secundo. omnibus juris generibus facile admiscentur: cocti, & crudi possunt comedi, sed non laudatur eorum sapor. Multum gignunt seminis, licet alimentum, quod ex ipsis prouenit, terrestre sit, multos flatus gignat. & succi melancholici magnum prouentum. Neruis, capiti stomachoq; nocent, & oris fœtorem inducunt. ex nimio eorum usu Epiplepsia oritur, & Paralysis. ut hæ nostræ corrigantur, lauari debent uino, tum coqui sub cineribus, & bene mundati cum oleo, pipere, sale, limonum succo, aut auranciorum. possunt etiam coqui in pingui iusculo cum pauco cinnamomi. comedi debent sub finem pastus, vinum purum superbibendo.* Ita Fontanus: nunc postremum, qui fuerat à principibus primus quasi perorantem plenissime ponemus Simeonem Sethi, qui in Libro de Cibariorum facultatibus scripta reliquit hæc: *Tubera* (τὰ ὕδνα) *frigida sunt secundo gradu, humorem crudum gignunt, mali*

sunt

sunt succi, permultiq; eorum nimio usu colicos morbos, & Epileptsiam, & Apoplexiam nacti sunt. Oportet ergo antequam coquantur accurate, diligenterq; curare, aquaq; per aliquot horas madefacere, mox sale, Origano, rutaq; in aqua coquere, cocta condire oleo, thymbra, pipere, & Garo. Horum frequentior usus colicos inducit morbos, & coquendi difficultatem; sicca autem si edantur, nocentiora sunt, difficiliorisq; concoctionis.

Hæc de coquinaria Tuberum conditura. Cæterùm ex Medicinali suo quopiam Apparatu en Tibi Serapium de Tuberibus Leonhardi Floravanti Bononiensis Lib. 2. Physices cap. 10. descriptum.

Tubera sunt germina quædam terræ, quæ cyclaminis modo & figurâ producuntur: naturâ calidiora, & stomacho amica: cujus imbecillitati bellè consulunt: lotium ciunt, calculos atterunt renum, atq; alia pleraq; commoda coctioni inducunt. Ejus Serapii conficiendi modus certè non operosus hic est. *Syrupus è Tuberibus.*

Tuberum suo cortice liberatorum libræ ad manus sunto quaternæ. Melissæ libra. Cardui Benedicti libræ octonæ. Ferveant in aquæ s. q. dum residuæ sint libræ ternæ: quæ primùm colo demissa, validâ manu mox expressa, tertiò postquam resederint, pittaciolo, ut moris est, destillata servantur in syrupum. quorum in singulus libras addito Aquæ stillatitiæ Mellis drachmam, spiritûs vini vnciam mediam. Condiuntur mosco & aquâ rosaceâ quantâ videbitur. Quæ quidem conditura difficilè corrumpitur: quandoquidem Tuberis natura illa est, ut acorem non sentiat. Remedio est Syrupus cunctis penè malis interiorum partium. Corrigit harum intemperaturas, sanguinem reddit purum, venerem excitat, aliisq; facultatibus pollet, per quas in Hispania & Regis Catholici aula memini *Syrupi è Tuberibus vires.*

me curâsse valetudines longè gravissimas. Potui sumitur syrupus unciis binis calidiusculus: quo sumpto deinde non priùs pransurus est homo, quàm elapsis horis quaternis: nec usui sunt edulia humentiora, aut putredini obnoxia, ut quæ vim hebetant medicamenti. Quòd si ipsum catharticum fortè fortuna parare vel sudorificum libuisset; utrumq; equidem facilè præstare consuevi per hunc modum. Catharticum quidem feci Senæ foliis Polypodio vino decoctis & commixtis. Cum autem medicaminis usus est, potabitur calidus unciis binis: cui si in strato quiescens horis duabus indormiverit homo, satius sibi faciet. Adhibitus autem pluscùlis diebus abolet dolores, ulcera, scabiem, & plerasq; alias incommodas affectiones. Ad summum autem Tuberis proprium illud est, sedare malas omnes corporis immutationes, valetudinem inducere meliorem. Hæc ille.

Ferrandi Imperati de Tuberibus professio recitanda.

Supersunt ab his Ferrandi Imperati singulares observationes: quas equidem conceptis suis verbis, nec ullâ parte immutatis, quæ vernaculo, sed selecto sermone fuere conscripta, recitabo. Porrò par & utrimq; mirificum in his compendium & absolutio. *Gli Tartuffi*, dicit ipse, *sono vegetali, di forma globosa, inegnali, generati sotto la corteccia della terra, di sostanza callosa, tenera, atta à nutrire. Nascono in luoghi arenosi, & tra le sterpi. Li nostrati crescono per lo più in grossezza di melo con corteccia nera, ruvida, & rimosa. La sostanza di dentro è di color latteo, & sono communemente grati al gusto. Sono altri Tartuffi, che altroue nascono, di superficie liscia, pallidi più piccioli, mà al gusto sciapiti. Alcuni se ne ritrouano, che contengono entro di se arena, & brecciuole, ò altra materia. Il che loro auuiene, perche il principio della loro generatione è l'humore, che pigliando consistenza sopra di tal materia*

dopo

dopo di ciò cresce. Cognosconsi li luoghi, oue siano concreati li Tartuffi dalle rime, che iui fà la superficie della terra. Hæc ille glossemate nostrate. Quibus alterum adde indicium per me Severinum, seu veriùs per Athenæum Lib. 2. Dipnosophistarum, Hydnophylli vocatæ herbæ, quæ supernascitur, quo substrata Tubera cognoscuntur. Quamquam hanc rem studiosè rimatus Carolus Avantius Rhodiginus Botanicus nostri seculi clariss. vix certi quicquam adinvenire quivit. Dubitavit verò aliquando ad me scribens vir solers, num fabula subsit. Cujus ego viri auctoritate suadebar quoquo pacto. Verùm hanc suspicionem sustulit Scaliger loco ante citato, scribens, servatum in suo sibi Musæo Tuber cum stipite & oblongo foliolo. Alterum indicium ex Alphonso Ciccarello Libro de Tuberibus Cap. undevigesimo: quòd super Tuberibus terrâ matre fœtis quædam genera muscarum circumvolitare gaudent: seu vaporibus quidem allicientibus è calore putrido sublatis; seu quòd putrescentis circa locum materiæ vaporosæ altera pars in Tuberum procreationem abit: altera est muscarum procreandarum materia. Hujus quoq; loci est, quod cap. 15. retulit Ciccarellus, audivisse se miram narrationem ex patre suo Claudio: se sæpius vidisse in agro Ceretano bajulum quendam solo visu Tubera adinvenisse. Itemq; rusticum hominem quendam ductam suem rostro sagaci venata Tubera passim suffodere consuetam.

Athenæi Tuberum substratorum indicium Hydnophyllum.

Tuberum indicium Ciccarelli.

Solo visu cognitus Tuberum locus.

Sus Tuberib. inveniendis dux.

Venio nunc ad tuam, Beslere, postulationem: quæ de Lapide Fungifero per nos enarranda fuit: redeoq; ad Imperati modò recitata decreta. Quæ ipsa si conjunxeris his, quæ paulò superiùs ex ejusdem scriptis relata per nos fuerunt, apertissima apparebit tota sententia de Tubere Fungario, quam ipse professus est. Quam quidem

quicunq; sequetur, declaret oportet priùs (quoniam congeneus Tuberi ponitur Lapis Fungiferus) Tuberis ipsius genus analogum: quod primò quidem pertinet ad Tuber simpliciter dictum: mox verò ad Lapidem Fungiferum, qui certè vilioris & terrestrioris est ordinis: deinde oportet, ut doceat, qua tandem necessitate Fungifera illa cartilago (genus nominabò cum Porta, Callosam dixit Imperatus) debeat in genus Tuberis referri. Quam cùm minimè exposuerit Imperatus; nos, qui successimus auditores, exponemus.

Nomenclatura per Imperatum imposita rationes omnes.

Causa, inquam, multiplex. Prima quidem alta & laxa, ut in quam minimè plura genera rerum ordines contrahantur. Secunda ratio propior & adstrictior: quia substantia videtur Tuberacea, nimirum callosa tum Plinio, tum ipsi Imperato. Hæc quidem simplex est hujus substantia. Cæterùm est & his composita ex arenosa portione, quæ communis est utrisq; corporibus. Tertia: quia respondet color externus maximè i. e. facies pulla aspera & rudis: nec non internus color, qui paucâ parte lacteus est, licèt pullo altero terræ colore interstinctus. Ad hæc duritiei modus est medius inter durissimum & mollissimum. Nam neq; durus est, ut Lapis, neq; mollis, ut Fungus. Medius quoq; inter terram & lignum modus. Adde, quòd rarius est utrisq; corpus. Taceo, quòd vegetant utraq;, & per semet excrescunt. Utraq; sub prima terræ conduntur facie. Per hæc & alia fortasse pleraq; plurimùm consentire videntur Tuber simplex & Tuber Fungarium inter se. Hactenus hæc quidem Nostratium Scriptorum de Tuberibus opiniones fuere: quas singulas ordinatim oportet expendi.

Respondentes Tuberibus Tuberum Fungiferorum rationes & modi.

Adversus eos qui Lyncuriũ μυκητοφύμα voluerunt.

Primùm autem Lyncurium, ut isti volunt, esse Fungiferum nostrum Phyma (μυκητοφύμα nos diccimus) quis

diu

diu patiatur è nostris omnibus, qui scimus nostris in terris Lynces non extare, neq; nasci, scimusq; sic affatim τοιαύτα μυκητοφύματα provenire? Nam neq; ad pervidendos Lynces lyncei oculi requiruntur: neq; verum est in Ligurum oris copiosa esse Mycetophymata hæc: tantum abest, ut hìc crebri visantur Lynces: quod Strabo prodiit, à falsis narratoribus, credo, doctus. Neq; etiam omnino verum, ἐκ τοῦ μυκητοφύματος Fungi partem pedicularem relictam in silicem, nisi extra terram, durescere: atq; ita semper crescere Lapidem restibili fœcunditate. Neq; enim, quod tradit Hermolaus, si de nostrate Mycetophymate, suas in manus delato, sicut certè videtur, tradidit hic idem; eam nos duritiem in reliquis Fungorum exsectorum observavimus in quibusdam φυμομυκητοφόροις Horti Camaldulensis. Verùm Imperati placita expendamus. Cujus quidem, ut pleraq; omnia plurimum suadere videantur ipsam naturæ speciem referentia; nihilo tamen minus, si hoc mihi condonârint Imperati manes, aliud ab his est, quod credere, veriùs nominare debeamus. Nimirum adverti terræ dodrante obrutum τοῦ μυκητοφύματος molliusculum cõtrectatu, quod eminebat tuberosorum excessuum: quorum exemta portio postquam in arido loco servata fuit mihi, postridie fortè recepta in manus, durata omnis lapidis formâ se obtulit. quod factum est, posteaquam humor, à madore terræ inditus, expirâsset in auras exsolutus.

Strabonis credulitas, & deceptio.

Fungi resecti pedunculum, in matrice residuum, lapidescere, falsum. Quamquam Agantii doctiss. observationi adversum, pluribus experimentis mihi comprobandũ est exactiùs.

Infirmum Imperati decretum nova nostra observatione.

Aliud etiam observavi: consitum in hortis unum idemq; μυκητόφυμα per Aquilonii venti flatus rigentiusculum contactu, quod mox per Austrorum afflatus cedentius digitis redditum est. Ita videlicet medium se exhibet utriq; affectioni & duritiei & mollitudinis: quam vicissim accipit pro vario subeunte causarum incursu: non aliter profectò, quàm Spongia, quæ rimosis conceptaculis & multipli-

Alia observatio nostra.

Spongiæ descriptio.

tipli-

tipliciter flexuosis anfractibus undiq; pervia novâ quadam ratione vasculi miro naturæ artificio fabrefacti complexis in sese quacunq; sorte insinuati deciderint humores, ab horum quidem liquido lævore nonnullam primùm induit mollitudinem ac teneritatem. Verùm iisdem buccis pro volentis arbitrio elisis atq; exhaustis arentem rursum adipiscitur formam, rigentemq; quem amiserat, habitum restaurat. Hanc igitur hypotyposin, nuperum hoc mentis idolum, quæso Te, Beslere, sequamur: eamq; non ampliùs *μυκητοφύμα*, verùm *σπογγομυκητοφύμα* genus hoc fœtabuli terreni Fungipari censeamus. Porrò huic nostræ novæ appellationi, præter hanc, quam dixi, ad durum & molle habitudinem æquam, faverit corporis raritas prima, tum inæqualitas, tum color, tum alia, quæ mox subdidero; si modò quam hujus vegetabilis formam notavi, jam exponam. Corpus enim (quod plurimum fieri solitum est) cubicæ formæ terrâ suffossâ obrutum ad summum usq; sed tamen extremâ aërem facie spectante, quæ tuberosa est, variè subnigra, maculis internè albicantibus aut cinereis, fungosâ & fibrosâ specie quadam ligni friabilis. Quali ad unguem deniq; formâ descriptos vulgo circumferri suetos se vidisse refert Andreas Cæsalpinus Lib. 2. de Metal. cap. 45. Præterea sapor & tactus mixtum quid tum ex ligno remollito, tum ex terreno pulvere coagmentatum redolet. Quare hinc aspritudo, illinc mollitudo offertur denti experimentum captanti.

σπογγομυκητοφόρυ comprobationes.

Cæsalpino descripta σπογγομυκητοφόρου forma eadem ferè, qua nobis.

Quod autem maximæ admirationi est, liquidò jam apparet hæc, de qua sermo, non abjecta & vilis compago terræ, vel excrementum, ut Costæo, in hac alioqui re minùs consulto, placuit, neq; naturæ aborsum aut erratum; verùm vegetabile corpus, nullo non studio curatum atq; directum à Conditore, sive mentibus laboriosis exacuendis

dis

dis, sive corporibus nostris fructuosè alendis: quod sollicita tutatrix natura legitimo circum tegmento munivit: non tenui, quod offensâ facili detereretur, sed crassiore & firmiore, per quod injuriis obsistere quiret. Ita scilicet istorum τῷ ἄνω providè cavit, ita usum spectavit opifex beata. Cæterùm rugosam ei faciem indidit: quod factum credo unâ contrectationis & extensionis sua, qui σπόγγος est, commoditate ac necessitate. Præterea, quòd amiculum si semel amittitur, ipsi sibi fossilis natura brevi restaurat, admirabile quoq; est. Fit autem subatrum hoc tegmen humoris portione, quæ extra suffusa fuerat, ab externo plurimùm calore, ab intimo fortasse magis exhalatu exsiccata. *Legitimus huic fossibili tegmēti usus.* *Color subater hujus fossilis.*

Præter quas sunt & hæ observationes.

Primis quidem diebus surgit Fungus totus: secundis excrescit: tertiis consistit: quartis deinceps ne disperit quidem, sed quasi victus obdurescit sic, ut fiat esui minùs idoneus. *I.*

Referunt autem observatores nonnulli probati, pediculi reliquias insigni tum instrui duritie. Quam rem ut non miremur, facit illud Ciccarelli cap. 17. Libri de Tuberibus adnotatum: Tuber pondo librarum LX miraculo servatum, lignosum, & aridum evasisse. Quamquam illud huic generi extra terram posito advenire, minùs magna res videri debet, ut ante præmonui. *II.*

Incrementum ejus inter Fungos omnes enorme. Ex bipedali quippe substrato corpore pedali & amplius latitudine venit umbella. *III.*

Necessum est fomento matricem humido nutrire. Siquidem amens illa Fungeas altori tibi escas fœneretur. *IV.*

Educta enim de germana sua terra, nisi refosso ampliter loco pristino, in quo sepelias universam, sepultamq; *V.*

conte-

contegas humo vel totam, vel tantùm non integram, singulos in dies irrigans aquâ, fœturam haud tibi promittas.

VI. Est autem, ut cùm minimè alitur, suo, ut dixi, humido privata contabescat, & extremè inarescat.

Coloris varietas unde. Sic Coloris quandoq; varietas oritur. Nam bene lætis ac vegetis hisce fœtabulis junioribus fortasse color est, qualis ab Imperato describitur, tuberaceus videlicet: senioribus verò, aut negligenter cultis fæculentus i.e. subrufescens & rancidulus i.e. ligni amplè corrupti color est. Quamquam sunt & qui terrarum procreatricium diversitate, vel ligni, quod putrescit, habitudine primâ colores fieri vel hos vel illos volunt.

Agrestium opinio. Porrò Ruricularum est opinio, qua volunt ex confectis particulatim Fagi segmentis, & diù vel humore terræ vel imbre cœli computrefactis procreari per silvas ejusmodi vegetalia. quod & cortici Populi vel albę vel nigræ particulatim cõciso & sulcis stercoratis mandato fieri, scripsit in 2. quo de Populo Dioscorides. Quam quidem transmutationem ut Fago advenire quemadmodum & Populo non dubitârim; ita perpetuam hanc Mycetophymatis procreationem non concesserim planè. Verùm hæc atq; alia pleraq; ad pleniores & certiores nostras observationes servo.

Observatio quoq; nostra est: quodcunq; aut qualecunq; sit hoc corporis (est autem meo quidem judicio radix: non aliter sanè quàm Tuberi sola radicis forma tributa est,) sive longinquitate temporis, sive loci importunitate, sive aëris ambientis insolentiâ, sive nimio aquæ madore, sive aliâ quacunq; inimicâ circumstantiâ corrumpi sic, ut digitis atteri, & luti, cui ferrugineus color sit, modo conformari queat. ita videlicet lenis, ita mollis, ac prope cerea putrefactu redditur suo. Quæ res ostendit scilicet

haud

haud Lapidis fossilis substantiam aut terream absolutè. Talis quippe neutiquam corrumpi visa est: neq; corrumperetur præ summa sui siccitate. Verùm quia mador nonnullus inest, & σπογγοειδὴς i. e. molliusculum potiùs quàm lapideum est corpus,ad hunc modum luti formam acquirit putredine.

Verùm enim verò illud addi oportet,hanc eandem ceream, seu dicam veriùs, lutiformem diathesin haud diu servari: verùm si diutulè digitis atteratur, molliusculum illud & figulare corpus minimis subinde momentis exarescere & in friabiles quasi arenarum particulas facessere. Adeo verum est scilicet inter duritiem & mollitudinem medium seu neutrum hoc vegetabile esse.

Verumtamen haud plurimum affundendum est humoris, ne nimium diffluens inde conteratur vividus ejusdem calor, & paulatim emoriatur.

Ad summam enim, ut Fungiferum edendis suis germinibus proficiat, ad victum ejusdem & vitam, qui sibi naturâ comparati sunt, spectare colentem oportet. Videris enim hos in silvis sub fagis & sub frōdosis aliis arboribus, opacis videlicet locis ex arborum frondibus udo nativo maceratis ali, vigere, germinare feliciter. Ad alia verò loca traductos non item: nisi quàm simillimæ sint sedes mutatæ.

Hac igitur naturæ normâ propositâ facilè apparet procuranda eorum conservatio situ locorum non arenti, sed pinguiusculo, qualis & Fungis omnibus communis est: in opaco magis, quàm in aprico, secluso solis omni collustratu, sub australi vel meridionali orâ potiùs, quàm Septemtrionis. Humor autem quo nutriri debent hæc vegetalia potiùs intrinsecùs, quàm extrinsecus, ipsis esto, h. e. cui genius ipsius faveat, non cui reluctetur. Hæc quidem

 pro-

probabilis nostra conjectura super hac re fuit;consentiens alioquin his, quæ rerum periti de cultu Fungiferi refossi consulti retulere. Cæterum quæsitâ rerum & temporis occasione certiores ac potiores in dies observationes ejus rei comparare licebit.

Verùm jam satis de Fungi matrice dictum est. Nunc de Fungo ipso pauca. Portio Fungiferi triplex. Una, quæ sub terrâ, radix & fibræ colore pullo. Secunda pedunculus albo luteus. Tertia Fungi umbella. Singula describamus. Radix propemodum arborescentem processum refert i. e. indivaricatum: scissilis est, & geniculata, ut Zinziberis Penæ, Iridis silvestris Matth. Iridis, Chamæiridis, & Iridis Polyanthes. Radicis extimæ fibræ sunt veluti capillus tenuissimę, ac variè implicatę crispęq;, quales ad unguem stipitis Oryzæ sunt paleæ minutæ. Fungi germen primum & stipes, si plenis suis numeris adoleverit, digitali vsq; longitudine attollitur: infimo pediculo nixus, quo magis terræ propinquat, gradatim tenuiore. Cui Fungo primùm erumpenti vesicula major est gemmæ vitis magnitudine, aut paulò majore: quæ digitis compressa reddit humorem aquæ specie, saporis aciduli gustu. Est autem Fungus facie, qua cœlum spectat, umbilicata & levi: inferiori verò continenti serie distincta punctulis quàm creberrimis & alveolis minutissimis: quorum diligentissimum quasi exsculptum observaveris non sine jucunditate nec sine formatoris Opificis admiratione. Quamquam hæc & τοῖς ζωοφύτοις communis est effigiatio. Asservatus in assula Fungus sexto à decerptu die, suo ipsius madore resolutus emarcuit, liquatâ quidem umbellâ, non sic tabefacto pediculo Fungi proprio, solido spongiformi manente. Est autem esu non ignobili, licèt callosiore, ut aiunt, manducatu. Hæc autem singula sunt obser-

Fungi partes tres.

Radix.

Stipes longus adultus.

Fungi primus exortus.

Fungei succi acidulus sapor.

Vmbella.

ſervata in Spongofungifero, quod in Divi Martini Carthuſienſis horto Munificentiſs. Antiſtes D. Joannes Baptiſta Bizantius meis his uſibus curavit alendum.

Hactenus hæc noſtra prior cura priorq; meditatio fuit. *Novum aliud judicium & de Fungifero ſententia.* Novum nunc ſequitur examen ac caſtigatior παλιλογία: in qua probabiliorem, ac firmiorem fortaſſe ſententiam de Fungea Matrice ſum prolaturus. Et rectè quidem, ni me mea mens fallit, nominavi Fungeam: quando talem hujus ſubſtantiam declarant pleraq; multa : quorum primum illud fuerit, quòd Tuber hoc & τὸ φῦμα luculentam analogiam & ſympathiam habet ad lignum i.e. ad arborem, *Ratio. I.* quam hederæ more ſequitur: amatq; circa arbores, quæ ſunt Ilices, Orni, Tiliæ, & Fagi, umbroſa cacumina, & opaca, principio ſata, propagata, converſata, & ævo longo conſeruata. Adeo, inquam, ligno eſt analogum Fungiferum vegetale, ut multis impoſuerit, volentibus, ex arboreis ſegmentis diu corruptis genus hoc erumpere: *Ratio. II.* deinde quòd ligni putreſcentis modo Fungum de ſeſe edit & emittit: qua eâdem putribili affectione & ortum Fungo communem habet. Præterea vel Imperati teſtimonio analogum eſt Tuberi. *Ratio. III.* Quod Tuber ἀναλογεῖ καὶ ἀδελφίζει pro confeſſo Fungis adeo, ut ſub vno eademq; genere conjiciantur à Scribentibus: & jure merito quidem: cùm complura habeantur in natura communia, quæ facilè cuiquam ex relatis poſſunt apparere. Quid quòd externa ſubſtantia vegetans, & in ſobolem perpetuò gliſcens odore, colore, ſapore fatuo, videlicet contrectatu, germinibus deniq; prodit ſe Fungeam: ideſt molli quadam duritie, vel durâ mollitie, quæ Cartilago eſt Portæ, Callus Imperato. *Ratio. IV.* Quoniam autem germina nominavi: una obducta Tuberi inter alias eſt particula, quæ cruſtam refert & ligniformes Fungos in Tiliis & Fagis oboriri conſuetos: qui *Ratio. V.*

humano postmodum opificio comparantur in fomites
Ratio. VI. igneos: quos ζώπυρα Græci vocârunt. Refert etiam, ut adverti, substantiâ fibras venasq; Fungorum liquidò sic, ut illud observanti non liceat ambigere de Fungi natura.

Hactenus ex multis monstrata τοῦ μονηπάδης corporis est idea: quod ipsum, quæso Te, cui satiùs ordini conferas & componas, quàm Fungorum? Porrò si genera universa percurreris, non aliud porrò videbitur, quàm Fungus immersus & obsitus solidiore compage corporis: hic μυκητοταφὴς dicetur, vel, si mavis, μυκητογονόειδος ζωμετῷ: per fermentum conglobatus, spiritu ζωμώδη agitante & commiscente terram ligno putrescenti analogam, unà cum crasso, viscido, & pinguiore succo, quem Plinius arborum pituitam appellavit Libr. 22. cap. 25.

Qua nostrâ descriptione atq; opinione per omnes caussarum ordines, uti vides, probatâ licebit unicuiq; facilè problemata & quæstiones complures resolvere. Nam
I. Problema. quòd excrescat, ut Imperatus ait, in centum librarum molem: tum id quidem in spongioso corpore continuò se dilatando, Fungi genius facit, & spiritus, si me audis, ζωμώδης, tum substrata initio terra συγγενὴς & concordans, tum succi ubertas, tum uliginosi loci proportio: postremò, sed non postrema energia ignis subterranei, qui nostris hisce cœli tractibus viget; quam rem prodidit memoriæ Strabo Lib. 5. Geograph. & hoc auctore prior Pindarus πυθίων initio ferè. Geographi græci verba Latina si volueris, hæc sunt. *Probabiliora sunt quæ Pindarus dixit, ex iis, quæ apparent, ratiocinari orsus. Apparet autem totum maris trajectum, qui à Cumis ad Siciliam usq; pertingit, ignitum esse, & in profundo habere cavernas quasdam, & inter sese, & continenti conterminas. Quamobrem & eam Ætna, quam omnes memorant, ostendit sui natu-*

naturam, & Lyparæorum Insulæ, & loca Puteoli, Neapoli, Bajisq; propinqua & Pithecusæ. Quibus consideratis Pindarus toti isti regioni subjectum ait Typhonem,

Cujus pectora nunc premuntur hirta
Littorum tumulis mare, quæ profligant
Cumarum super urbem
Ipsiusq; solo Trinacriæ. Hæc ille.

Inde igitur est, quòd nostro duntaxat cœlo, nullis aliis sub oris genus hoc fossilis reperiatur: quod nostrum alterum fuerit Problema. Tertium est: quòd arborum surculos, lapillos, atq; alias terræ quisquilias in hoc concremento repereris. Hæc autem sola spiritûs ζυμώδους est corrasio. *II. Problema.* *III. Problema*

Quoniam autem cum Tubere Imperati Fungario σπογγοπετρομυκητοφόρον nostrum contulimus; conferamus utrumq; aliàs absolutè i. e. nulli attributè: præstantiam utriusvis curiosè disquirentes: ut nullus profectò laboris hujus sit excessus, quem nos amplectentes Beslero nostro non expleamus.

Ex altera quidem parte videtur Tuber Terræ nobilius: ut qui fructus terræ jam terminatus, & usibus hominum i. e. alendo comparatus: item medendo præter quàm ornando accommodatus. Deinde formâ dignius & sincerius, quàm Fungiferum nostrum: quod alioquin informe ac deforme, quin etiam bicorpus, aut etiam tricorpus est, ut monstratum fuit. Quare imperfectius & emendicatius est. Hæc sua Tuber terræ jactat dona.

Nihilominus contra Fungiferum nobiliora sua facit bona: quòd plantæ perfectæ propius sit: quippe infernè supernèq; vegetat, & fœcundum est singulos in menses, aut saltem binos.

Præterea hujus effectio elaboratior, operiosior & numero-

merosior est: ipsum verò firmius & perennius: ad cultum, altum, medicatumq; mortalium semper aut sæpius utile.

Ad hæc insignius, & mirabilius, admirationemq; alens pluribus modis, qui per nos ante constitere. Quare jucunditatem cum utilitate complectitur. Quæ & quot dotes Tuberi non insunt utiq;.

Observabilior, & spectabilior in dies ejus sobolis est progressus.

Principibus viris carius & speciosius: itemq; philosophantibus, ut Beslero, magis prosecutum. Deniq; semper & indistinctè melius.

De nostra appellatione atq; opinione judicium.

Quibus jam omnibus de Fungiferi natura θεωρουμένοις atq; discussis, deinceps hæc atq; alia pleraq; Problemata, Beslere peritissime, facili per hanc nostram rationem negotio resolveris. Cæterùm nostra appellatio, ac de idea fossilis opinio discernes etiam pari felicitate quàm longè præstet Imperatianâ: quando nos univoca & συγγενῆ producimus: in Imperati verò opinione Fungum inter & Tuber tanta est disparitas, quanta duorum generum æstimari potest ἀλογία: & præterea tanta est disterminatio accidentium, & numero & gravitate spectabilis; ut pigeat me nunc referre tum longo enarrandi tædio, tum Præceptoris alioquin consultissimi reverentiâ. Præstat multò gravissimas & extremas aggredi observationes, quæ per Analyses Hermeticas compertæ fuerunt & mihi & Josepho Donzellio Neapolitano τῶν ἐργατῶν Spagiricorum primo, meo & egregii Viri Joannis Georgii Volckameri amicissimo: qui suapte manu rei voluit totius allaborator esse. Igitur pandam ordine, & ad amussim τῶν πραγματειῶν, ut se prodidit pertractando massam Fungiferi ruditer contritam, pondo librâ. Vas vitreum vix inflexum ventre nonnihil amplo superpositum est igni, principio

Administratio alchymica.

cipio quidem non admodum multo, mox vehementiuſculo. Propulſæ deſcenderunt ſtiriæ quæpiam humoris pellucidi, ſapore fatuo. Poſtmodum auctiore igne viſus eſt prolici liquor luteolus, fuſcidior, guajacinæ deſtillaturæ ſimilis, qui guttulatus dum pergebat, vidiſſes plurimum in excipulo vaſe undiq; fumum album circumfluere & attolli, non aliter, ac ſi chalcanthi ſpiritus elaboraretur. Quo temporis puncto dum vas excipulum vehementiſſimè exæſtuaret, refrigerari per nos continenter & contemperari, donec prodierit ejus aquæ libræ ſemiſſis, paſſei coloris, odoris, & ſaporis eccriſi Guajacinæ adeo ſimilis, ut hanc atq; illam extillationem in æquis phialis æquè plenis haud diſcreviſſem equidem, ac dixiſſem numeris omnibus æquas. Simile quoq; licèt aliquanto craſſius oleo Guajacino per vitrum extillato, viſum eſt excipulo adhæſiſſe oleum, quod ad proximam flammam adhibitum illico exardebat. quod oleum tamen præ materiæ paucitate paucum & ipſum fuit. Fuit autem, quæ deſtillatione defluxit, aqua cum ſpiritu cumq; oleo commixta: quod factum eſt, certò credas, unâ ignis violentiâ, quali alioqui aut quanto ad extillandam materiam craſſam & terrenam fuerat opus. Exacta eſt hæc omnis opera ſex horarũ curriculo. Quo tempore diſrupto vaſe repertus carbo aterrimus, ſic manus inquinans mordicus, ut vix aquâ elueretur. Ex quo Carbone comparatus ulteriore igne cinis contritus, colore pullo i.e. proprio terræ, miculis ſcintillantibus pleriſq; nitidus eſt. Cujus, & Carbonis, & Cineris itemq; Salis fixi mittuntur particulæ. Qui Cinis quantum eſt digitorum attritu lævis, tantumdem eſt peracris & aciduli guſtatûs linguæ: adhæſûs quoq; firmioris, quàm unâ aut alterâ horâ aboleatur.

Aqua fatua. *Oleum Guajacinum.* *Spiritus.*

Sal exceptus eſt, ſapore quidem acerrimus, quantitate *Sal.*

per-

Portiones principiorum ſeu priorū corporū cunctorū.

perquàm modicus : multo major Olei portio prodiit, Spiritûs, quem vulgo vocant, maxima: Cineris verò inter omnes partes uberrima. Qui Cinis æquè ac Spiritûs acore nobili atq; inſeparabili tincti manſere. Ut etiam atq; etiam confirmetur animus in ea opinione, quòd fermentator ſpiritus πὰν τὸ πράγμα creârit. Cujus acoris ergo fit etiam, ut præclarè λιθοντρίβειν naturâ ſit hoc foſſile. Confirmemur item oportet ex eo, quòd olei guajacini, quin cujuſq; deſtillati ligni refert odorem, colorem, ſaporem, vigorem; ut ſtabiliamus, & Fungeam & Ligneam hujuſce foſſilis ſubſtantiam, h.e. materiam, formam, uno verbo, naturam eſſe.

Confirmationes placiti noſtri cumulatiſſimæ.

Peroratio.

Quæ nos ad hoc tempus commentari de hac re primi valuimus. Alias de eâdem fortaſſe per otium plura & meliora. Tua jam, Beſlere, ſolertia ex cædua noſtra ſilva longè majora & graviora lignabitur. Interim quòd ad medicinales iſtorum vires attinet, ſic habeto. Capto mihi Spiritûs è Fungifero extillati experimento, vulnerarium hunc compertum : & vulnerarium ſic probatum, ut ejus ope ſolius ex umbone, qui ad folliculi luſum cubito obducitur, per vim illiſo vulnus inferiore labio transfoſſum curârim equidem quatridui ſpatio. Fungi autem areſacti pulviſculum audivi Medico cuidam in Calabris uſitatum felici Pleuritidis & Nephritidis remedio: quòd abſceſſum aut maturè diſſolvit, aut ſuppuratum jam diſrumpit ac purgat. Pauca hæc & rata medicaminis hujus ſunt effecta. De cujus ego virtute mihi polliceor majora, quæ cùm patuerint, non ero lentus adnotare, ac ſedulæ tuæ, Beſlere, expectationi ſignificare. Bene; vale. Scribebam in Muſeolo meo Neapoli paucis aliquot ante Calendas Decembres MDCXLII.

Medicinales Fūgiferi virtutes.

DE

FUNGIMAPPA *Cum superstite umbella*



FUNGIMAPPA *discussâ umbellâ*



A A *Siliculus substratus vegetanti locus*

B B *Stipites assurgentes*

C C *Mappa superdata*

D D *Siliculus vegetationi substratus*

E E *Stipites suâ mappâ orbati, ac propterea reclinati.*

DE LAPIDE FUNGIMAPPA HYPOMNEMA

MARCI AURELII SEVERINI

Ad

Eruditissimum Virum & Medicum eximium JOANNEM SIMONEM A GRATIA, Gratiosum Amicum suum.

Progressa dissertatio à duplici Lapidū generatione.



Enerationem agnosci Lapidibus novum non est: seu quidem hanc edant, seu recipiant. Naturæ nimirum omnipotenti placito summi Conditoris arduum est nihil. Sic, quod ad prius attinet genus, Mythologi prisci, qui singula naturæ facta sub certis figmentorum imaginibus obvelârunt, Hominum mortalium sationem è saxorum soliditate deduxerunt: atq; adeo Virgilius Georg. 1. cecinit,

Generatio materialis.

quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides jactauit in orbem:
Unde Homines nati, durum genus.

Quam rem, credo, commentus est Poëta naturæ nostræ indicandæ ergo: quorum manus, labores improbos in artibus exercendis quotidie sustinentes, duriores perstant ipsis lapidibus, qui atterunt in dies atq; in annos, non atteritis nervis nostris. Lapides quoq;, sicut jam pridem audisti, Fungos umbellatos è sinu suo produnt. Rursum an-

tem

tem & stirpes quasdam edi de saxis receptum est etiam à doctissimis Peripateticis Nimirum quòd tum ex aliena lapidi mixta materia, tum ex altera intra lapidem insinuata manare liquores ac pullulare plantas observatum est. Hactenus attigimus energeticam i. e. ab ipsis non ex ipsis cōditam procreationem: si modò energetica est hæc functio, non eidem analoga, quod liberiùs quispiam admittat. Verùm de altera procreatione, quæ per accretionis & adjectionis coagmenta fit, jam me compono dicturum. *Generatio per accretionem.*

Est Lapis, de quo agitur, Coticula parva, oui anserini longitudine, sed eodem complanatior. Si perconteris de magnitudine cotis, unciolas tres examinata pependit. E cujus diametro circumquaq; surgit seges capillamenti, recti, digiti pollicis infantis longitudine, colore candidissimo, rigentibus setis: quæ cuspidulæ extremæ, siquidem, obtutu diligenti & acri spectentur, acetabula & cotyledones referunt exilissimos. Visa est nobis hæc habitudo tota barbam canam referre. Quibus tamen pilis instructissima cos plurimâ parte deglabrata est: seu quidem extremo squalore collapsis: seu frequenti manuum attrectatione detrimenta passis. Cæterùm hæc fila dentibus attrita gustatum linguæ salsum excitavere, terreumq; echini marini spiculorum sensum stridescentem reddidere. Qua delapsi parte capilli, facies cotis asperior & hispidior: ut cognosceres inde relicta vestigia decussorum pilorum. Quamquam indicâsti mihi scitissimis literis tuis, Simon Gratiose, silvescentes saxo multos ac tenuissimos quasi capillos summis suis apicibus tenus communi obductos umbellâ, & convexâ propemodum fungeâ patellâ. Quam ob causam Fungiferum an Herbiferum Lapidem ambigere Te, disertis verbis es professus. Qua cæteroquin umbellâ non compertâ credidi facilè longinquioris agitatio- *Descript. Lapidis Fungimappa.* *Fistulosi stipites Fungimappa.* *Sapor stipitū degustatorū.* *Facies silicis deglabratæ.*

ne vecturæ decussam. Hac igitur τοῦ ἐπιγιγνομένου particulâ, quam non vidi, suppositâ, licenti in re nova vocabulo

Appellatio Fungimappæ.

ausus sum vocare FUNGIMAPPAM: quòd Fungea soboles mappâ quadam inductâ supernè contegatur. Ipse, Simon, qui polles ingenio tam præstanti ac tam perspicaci, si nomen aptius inveneris, quæso Te, non gravatè substituas & accommodes. De quo Naturæ lusu quid judicem stricto verborum compendio sum dicturus.

Fungimappa aliud genus, quàm Fungiferi legitimi.

Est hic Siliculus aliùs longè naturæ, quàm Fungiferus, aliàs per nos enarratus. Hic nempe parit interiore principio Fungos: Fungimappa verò, præterquam extrinsecùs, ab se nihil habet. Enimverò per alienam accretionem pari segetem hanc indubiè puto: non aliter quàm in multigenis corporibus accessisse concrementa notavit in aureolo de Sponte Nascentibus Opere disertus æquè ac sapiens Fortunius Licetus: quo nos auctore plurimùm usi

Generationes variæ per accretionem.

sumus. In Plantis quippe sunt hæ generationes. Corallium, marina stirps, super fictili radicibus actis germinavit. Palma in lapidea basi statuæ Cæsaris Dictatoris, quæ in Trallibus fuerat, orta est. Ad hæc in aris lapideis coalitas stirpes: in Lysandri statua concretam coronam ex herbis asperioribus legimus. Deniq; Filix, seu Palma Filicis imagine, Abies marina, Fucus capillaris, & alii Fuci, aliaq; adnascentia germina Ferrantis Imperati, ad naturam omnem pernoscendam parati, ductoris olim ad Botanicen nostri clarissimi. Hæc de stirpium genere. Ex Animalibus verò. In Cervi cornu enata Hedera visa est: atq; ex cornibus arietis Asparagos expullulâsse: nec non ex Cranio humano Corallium & Muscum ortum invenisse: & è dorsi spina enata planta est, cujus ideam apud Illustrifs. Equitem Cassianum à Puteo videre est. Cæterùm ut de Metallis sermonem compleamus: ex æreo Tripode Pla-

tanus

tanus aliquando prosiliit. Ex æncarum statuarum capite nata herba Cephalalgiæ consuluit. Et in medio marmore subortam vixisse viperam tempore Martini V. Pontificis compertum est. De quibus ortubus omnibus perhibuere primùm Veteres Historici: mox Cl. Fortunius Licetus Lib. cit. de Sponte Nascentibus Lib. 3. & 4. Nos de nostro Fungimappa vestigemus jam aliqua. Certum est hujus procreationem in saxo convenire cum his, quæ dudum relata sunt de coralliis & stirpibus, quæ in statuis lapideis concrevere. Quorum aggenerandorum & educandorum ratio communis exposita primùm est ab Aristotele Lib. 4. de Plant. cap. 44. Cujus verba sunt hæc: *Planta igitur, quæ in solidis lapidibus nascitur, longo tempore contingit. Qui enim in illis comprehensus est aër, ascendere nititur. Dum autem viam non invenit ob lapidis fortitudinem, redit, seq; ipsum aër calefacit, & humorem, qui in lapidibus est, reliquum trahit sursum: exitq; vapor cum humore illo cum partium lapidis minimarum resolutione. Etenim frequens mos lapidibus est, ut eos sol juvet per suam concoctionem. Et ad hunc modum ex illis Planta fit: quæ non ascendit, nisi propinqua terræ aut humori fuerit. Nam planta substantia terrâ indiget, & aquâ atq; aëre. Consideretur itaq; Planta: & si prope solem fuerit, nascetur celeriter: si verò ad occasum Sol fuerit, tardabitur.* Hæc Aristoteles. Cujus ut sensum assequamur, intelligere nos primùm oportet, ad uniuscujusq; corporis viventis obeundam procreationem, quemadmodum & in aliis omnibus, duorum interventu principiorum opus esse, calore, inquam, & humore: hoc quidem materiæ substratæ usu: illo verò ut motore ac formæ productore. Et hic quidem ambiens aëris est calor: qui Philosopho auctore, quia nusquam non est, & nuspiam non subit,

Privata de Fungimappa dissertatio.

Arist. doctrina de his quæ Lapidibus innascuntur.

Enarratio dictorũ Arist.

com-

comprehensus intra lapidis prærupti poros evolare (qui suus levitatis est raptus) extrorsum conatus, per angustias loci cohibetur. Egressum autem & regressum identidem longâ die factitans, partim agitatione istâ, partim accedente nulla ventilatione concalescit. Interim, quam attrahendi facultatem calore comparavit, hac & humorem, qui lapidibus acquisitus est, sursum attollit, dum exeundi viam inveniat. Acquisitus, inquam, humor adventitius, sive qui per venas inaspectabilis lapidem penetrat & pervadit. Inde prodit vapor, & aëre crassior factus, & remixtus humori, sub quo fuerant multa stirpium corpuscula, atq; adeo particulis saxi minimis ab aqua guttatim illapsa, remollitis, atq; in lutum resolutis, calore solis agitante concoquitur materies ac temperatur sic, ut in vitam disponatur, ac in vegetabile deducatur. Hæc Philosophi summi fuit sententia: à qua qui est, qui discrepare ritè queat? Equidem, quod ad Fungimappam nostram, seu Fungeam in silice segetem pertinet, persuadeo mihi, non absimilem, quàm Coralliorum esse generationem: quæ nascuntur in profundo maris, saxis aut testis adhærescente materiâ quodam glutinosâ: quam intrusus calor, & alter solis in altissima vada penetrans, ubi præparauerit donaueritq; calore convenienti, requisitâq; ad vitam temperaturâ, continuò congruentem in hanc formam eleuat extenditq;. Pari hercle pacto nostra Fungimappa ex materia lenta, crassa, halituosa copiosiore atq; humectiore prognata, subinde multos in culmos atq; in unam quasi stolonum sobolem educta, uberiore fortasse agitante ac dispertiente avenulas calore suppetente sub meridionali alioquin cœli situ, sole aprice spectante: qualis ad unguem est Japyga plaga. Quoniam autem crebræ segetis extremi termini tantùm non se mutuò contin-

tin-

tingunt; ex dilatato de osculis, quæ nuper descripsimus, humore glutinoso coalescere Mappa facilè potuit Fungeaq; Umbella: quæ una sanè complecteretur atq; contingeret uniuersos pedunculos atq; culmos: tales enim cùm teneri forent, opinandi videntur, quando fistulosos spectantibus acutè oculis sese efferunt. Jam vero uniuersi corporis particulæ primum quidem vegetalium, ut credi par est, teneritudine, ac lenta flexura donatæ, dum humor hæc aluit, mansere; mox eædem seu fluoris vicinia, seu vapore destituta paulatim exarescentes, atq; obdurescentes, demum in vigorem, & petream formam secesserunt; ac si Medusa spectauisset, vel aqua petrifica nostratis Acerræ, quæ quatuor ab urbe Neapoli lapidibus distat, imbuisset, ac saxeo de genere reddidisset.

Vt inductus vegetali rigore.

Acerrana aqua petrifica vis.

Hæc nostra meditatio, hæc inscriptio, hæc enarratio prima fuit de Fungimappa, quam tua mihi humanitas Jane Simon *εὐχαριστέστατε*, dono misit carissimo. Ego tuæ gratiæ quas rependerim gratias, nisi illas, ut naturam hujus omnem non supprimerem: verùm, ut cunq; datur, in examen revocarem, examinandumq; aliis primus hac quasi arrhâ darem. Eam enim ob causam discussa mihi brevi res est. Licèt etiam & eo nomine, quòd apud doctissimum Virum, qualis Janus Simon est, meus & monstrator & doctor, non pluribus res erat, quàm tribus explicanda chartis. Eloquentiæ sapientiæq; tuæ tergeminæ munus est, ut disertiùs, graviùs, absolutiùs edisseratur. Quod si vel otii inopia, vel curæ mordaces illud tibi negotii non permiserint exequendum; rogatum cæteroqui te velim, ut saltem diligentem mihi pares rationem earum rerum, quæ ad exactam eius naturæ interpretationem obeundam requiruntur, id est locorum, temporum, modorum, unde lapis primum elementum generandi vegetantis conceperit;


Adhortatio ad absolutã enarrationẽ.

Desiderata capita enarrationis.

perit ; vim fabricandi ejus concrementi senserit ; quo promotore atq; autore generationis, & mutationis uniuersa momenta retulerit. Quæ tuæ, Simon, prudentiæ distinguere, ac dijudicare fuerit, ut pleraq; subinde theoremata contemplari, ac problemata coniectari commodum sit. Bene vale, & me ama, qui Te reverenter colo cum Baptista Capuccio, collegâ nostro, viro, quem parcè laudare nefas est.

Neapoli Idibus Jun. MDCXLIV.





INDEX

Eorum, qui hoc opere memorantur.

Caro-

INDEX

Rerum, ac Verborum maxime notabilium.

D.

E.

F.

Fun-

Lau-

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

Spon-

Yerusa

FINIS.



Errata sic emendentur.

2. ver. 13. mendicamus 4. 5. intellige 7. 18 fungos 8. 25. κατaχρηστικῶς 26. 5. fructibus 28. 12. πολοχρηστότατον. 38. 26. reddenda. 40. 27. repræsentare 41. 22. cucurbitas 54. 4. fouet nos omni 23. aliisq; 56. 9. plurima 57. 26. famem 80. 18. si Auicennę 110. 10. τῶν 122. 21. arboream 125. 13. decoctum. 137. 12. tunicas 147. ver. post. Radiculas 155. ver. postr. regioni 170. 6. Parthenio 183. 12. pastus 184. 3. corrumpuntur 189. 6. prodidit 206. 11. quadam 207. 18. rependerim